CUR

ARS PICTURÆ

APUD

ITALOS XVI SÆCULI DECIDERIT

THESIM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI


PROPONEBAT

Romain ROLLAND



LUTETIÆ PARISIORUM
APUD ERNESTUM THORIN, EDITOREM
4, VIA DICTA LE GOFF, 4

MDCCCXCV



CUR ARS PICTURÆ

APUD

ITALOS XVI SÆCULI DECIDERIT

TOLOSÆ. — EX TYPIS A. CHAUVIN ET FILS, VIA DICTA DES SALENQUES, 28.

CUR

ARS PICTURÆ

APUD


ITALOS XVI SÆCULI DECIDERIT

THESIM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

PROPONEBAT

ROMAIN ROLLAND



LUTETIÆ PARISIORUM

APUD ERNESTUM THORIN, EDITOREM

4, VIA DICTA LE GOFF, 4

MDCCCXCV



DILECTO AVO

NEPOTIS STUDIORUM

FAUTORI IMPIGRO

HANC OPELLAM DICAT

R. R.

PROŒMIUM

Picturam italianam, modò ad summum perfectionis gradum provectam, plura et communia incommoda in deterius statim traxisse mihi videntur : primò scilicet innatus ille italicæ genti habitus, quem barbariori verbo *idealismum* nuncupare ausim, et cujus causas et exordia inquirere operæ pretium erit ; — dein singulares rerum ac temporum circumstantiæ quæ diutiùs ætatis præteritæ studia continuaverunt ità ut viventium in præsenti propria frangerentur ingenia ; — illud demùm fortuitum ac peculiare, quòd Michelangeli auctoritas et exemplum apud æquales unicè et pravè prævaluit.

Quæ causæ, ne dicam vitia, quomodò adoleverint et italicorum artificum indolem debilitaverint, — invitis Caracciis et irritâ eorum reformatione, præterquàm in eo quod ad Buonarotti dominationem attinet, — nobis in animo est explanare ; sed priusquàm eam quæ propria est instituti operis quæstionem explicandam suscipiamus, necesse est alias causas adumbrare, quæ, quanquàm sæpiùs in hâc re denuntiatæ fuerunt, nobis parvi momenti esse in propositâ artium inclinatione videntur.

*
* *

Imprimis notanda est illa quæ Britannicorum *præraphaelitarum*, vel, ut ità dicam, recentiorum Evange-

listarum, oculos maximè commovit, « deformatio christianæ rationis, » etiamque « picturæ apostasia, » ut ait Ruskin (1), cujus famosus de Arte libellus pectoris fervore necnon inopinato verborum acumine potiùs quàm argumentorum vi et firmitate nitet; quam quidem nos simpliciter « sacræ fidei imminutionem » vocabimus.

Sed, — ut rem aggrediamur, — fidem istam quis in ætate antecedenti firmiorem fuisse contendat? Fatemur, tertio decimo sæculo, totum Giotti animum, totumque ingenium ex fide constitisse; quarto decimo verò, Frater Angelicus, invitâ eâdem fide, Ghirlandaio parùm pio exæquari non valet; Philippus Lippius, historiæ sacræ in eligendis tabularum argumentis omninò addictus, res sacras minùs curat; dùm Botticellius, diligens religionis cultor, veterum historiam et fabulas feliciore et sinceriore etiam mente explicat. Addam ex contrario Barocium christianæ fidei arctissimè devinctum, et ab ipso Vasario celebratam in depictâ tabulâ Colinei (Coligny) cædem, imò laudatam hæreticorum stragem, quæ ad diem Sancti Bartholomæi inscribitur (2)?

(1) V. *l'Esthétique anglaise*, étude sur M. John Ruskin, par J. Milsand (Paris, 1864, G. Baillière).

(2) Vide Gio Batt. Paggi, genovensis, ad fratrem suum epistolas, 1591 (*Bottari*, VI) : « Picturam esse ignorantium litteras; eamdem animos ad pulchra facinora incitare, defessos oculos et mentes recreare. »

Vide Gab. Paleotii, *Discorso intorno alle imagini sacre e profane*, Bononiæ, 1582; — Armeninii librum, *De veri precetti della pittura*, 1587; etc.

Vide presertim Lomatium (Lomazzo) : Ille picturam vocat « Sacrum munus cujus J. Christus imaginem dedit » — « Maggior lode non si può dar li, che dire che Christo istesso l'usò, facendo un ritratto del suo volto in un velo di S. Veronica » (*Idea del Tempio della Pittura*, 24). Quae ars in eo maximè eminet quod « Deum, angelos et sanctos effingit » (27). — « Pictoris institutio Sacris Scripturis magnopere innititur » (c. 25). « Has discere et meditari, et semper Passionis effigiem ante oculos tenere oportet, ut arceatur voluptas, a pulchro dissentanea. » — Sæpiùs etiam dicas Lomatium ad Ruskini mentem loqui : scilicet « præteritum jam esse tempus quo personas ex humanà historià desumptas artifex in scenam traheret; nunc ex divinà sumendas, quod semper valebit » (*Trattato dell' arte della pittura*, VII, 25). Ne quidem Michel-

Plures alii scriptores rem omninò invertunt, totâ viâ errantes, et catholicam Ecclesiam de eo ipso inculpant quod Ruskin antiquitatis fautoribus crimini vertit. Quibus si credas, dices a Concilio Tridentino et romanâ reformatione obruta fuisse ingenia et impeditam artificum libertatem. Facillimè autem objiciat aliquis, antè annum 1545 jamdudum inceptam esse hanc artium, de quâ agitur, inclinationem. Corporibus quidem, quæ in Michelangeli *Supremo Judicio* effinguntur, Pontifex Paulus braccas jussit superaddere; sed remanent multa in hoc prædicato opere peccata, quorum rationem stultitia ista non præbet. — Item, quamvis Paulo Veronensi Sacrum Officium (anno 1542 Romæ institutum) litem intenderit, non tamen gravissima impedimenta ex istis actionibus passa fuisse libertas pictoris videtur. Neque etiam Hispaniam, in quâ ingenuas artes vitam ex talibus coercitionibus hausisse compertum est, in exemplum afferam, ob diversas gentium indoles ac mores. Satis erit quærere de quo incusetur in hâc

angelo, dilectissimo magistro, parcit, qui morum verecundiam pingendo læserit (VI, 28), omninòque obscena ex Scripturis excerpta argumenta rejicit (Loth, Suzannam, Bethsabæam, Putiphar), VI, 34.

Ipsi Michelangelo tribuitur hoc effatum : « Qui Dominum Nostrum effingere velit, non satis est magistrum strenuum ac solertem haberi; dico ego *sanctum* esse eum oportere, ut ejus ingenio adsit Divinus Afflatus. » — V. Sonnetti 3, 6, 7, 8, 9, 10, etc.

Nec aliâ ratione, Mediolani, Divus Carolus Borromœus artes restituere conatur, Leonardo et Luino favens, asseveransque « optimum et pulcherrimum opus esse quod elegantiâ formæ lasciviam excludit, ignotâ nostris fortasse pictoribus arte, quia divinæ et humanæ pulchritudinis discrimen ignorant. » (Rio, III, 344.)

Memento insuper Josepinum, Guidum, Dominicinum et Berninum, fidei addictissimos. Hic « interdum terræ fingit oscula » (V. *Gazette des Beaux-Arts*, XV, 314). Cujus quum laudatur opus, ait « se auctorem non esse, sed Deum; a Deo enim illud cogitatum fuisse et factum » (XV, 315, 510). Feriatis diebus quodcumque studium renuit, (XVII, 353) in hoc longè a Leonardo dissentiens. Quod si fortè superbiâ aut tristitiâ graviter laborat (post Perralti (Perrault) censuram), domum recedit, silentio indulget, sodales et amicos remittit, sacris libris ac precibus sese immergens, nedum cum aliquo conferat (XXVIII, 269).

CUR ARS PICTURÆ

APUD

ITALOS XVI SÆCULI DECIDERIT

CUR ARS PICTURÆ

APUD

ITALOS XVI SÆCULI DECIDERIT

CAPUT PRIMUM.

DE INNATO IN ITALICA GENTE IDEALISMO.

Ingenuarum artium ruinam a communi totius humanitatis cursu pendere satis constat : addamus hanc ruinam ex ipso ingeniorum progressu plerumque sequi ; quod quidem nullo modo mirabile, nec ut aiunt Græci, παράδοξον habendum est. Absurdum sanè judicabis qui prorsùs et absolutè contendat intellectûs cultum obstare artium incremento : nullum enim invenias decorum opus quin, invito etiam artifice, intellectu fulgeat. Notum est Plotini effatum « pulchrum esse splendorem veri. » Cæterùm, intelligentiâ sensum illustrante, clarissima ingenia propriarum sibi dotium conscia semper fuêrè.

Sed, in hominibus naturâ parùm munitis et perfectis, ipsa intelligentia in locum pectoris irrepit, sensum obruens ex quo ars materiam suam trahit, affectusque animi nitore omni et innatâ ingenuitate destituens. Illa sensum vix natum excipit ac reprehendit, discutit et

æstimat, regulas alienas et extraneam disciplinam introducens, tandemque speciem fictitiam rei ipsi subrogat : unde fit ut species ista, etiam si principio exacta fuerit, postquam a re verâ separata est, falsa demùm et mendax exstet. Atque ità paulatim ingenium ipsis speciebus anteponit leges et fœdera quæ ex specierum comparatione discernere sibi videtur; et, ad summam, pro sincerâ naturæ imagine ac notâ exsurgit fabrica quædam ex solâ cogitatione texta.

Hâc enim ratione necessariò et quasi dialecticè progreditur humana mens : primùm quidem, vix expergefacta, quidquid circumjacet ingenuâ spe amplectitur; mox autem, depositâ gradatim fiduciâ, a rebus in seipsam reflectitur, et ibi se continet. Priores Græciæ philosophi Naturæ accrediderunt; posteriores ingenio. Hi doctrinam suam rebus fulcibant; illi, externam rerum veritatem in dubium revocantes, in ipsam cogitationem dispiciendam se intenderunt. Pariter a principio sexti decimi sæculi, ars ità progredi in Italiâ visa est ut ingenii conceptus, nec jam naturæ imaginem repræsentaret.

In hanc viam naturâ proni, artifices, juvantibus rebus ac temporibus, præcipitavêre; juvante imprimis modò restitutâ Platonicorum disciplinâ, quam non parvi momenti in Italicorum ingeniorum motu fuisse sæpiùs probatum est. Michelangelus enim clarissimis Platonis fautoribus usus est, frequenter cum Marsilio Ficino (1435-1499), in Medicæanis hortis versatus; cujus etiam Ficini Raphaël, etsi junior, auctoritatem est expertus, cujusque placita, quinquaginta pòst annis, Lomatius usurpabit.

Apud ipsos pictores antiquitatis minimè curiosos, nempè Perusinum, (vide in *Casa del Cambio*, picturas udo tectorio illitas), necnon et Gozzolium, (confer Divum Thomam Aquinatem, in nostro *Musée du Louvre*), inve-

nire est veterum philosophorum memoriam et nomina; imò frequentiùs invenias apud cæteros ejusdem temporis, hellenicæ pulchritudinis magis studiosos. Vel si Laurentio Medicæo neges « absque platonicâ disciplinâ nec bonum civem, nec christianæ doctrinæ peritum, facile quemquam futurum, » saltem illos omnes viros fateberis platonicam rationem ad artis fideique conceptum accommodâsse. Id tantùm animadvertes illos vigentiores liberioresque ingenio fuisse quàm ut disciplinæ cujuslibet servitutem paterentur, cum quâ totâ mente non conspiravissent : nihil igitur neoplatonicam institutionem in illis mutavisse, nisi ut fierent propriæ indolis suæ magis conscii, et insuper, magno philosophi nomine innixi, fortiores instarent.

Verùmtamen arctâ cognatione Socraticorum rationes cum præceptis artificum sexti decimi sæculi congruunt. Parrhasio enim dicenti se « corporum tantùm sinus et prominentia, clarum et obscurum, mollitiem, duritiam, et lævitatem imitari, » Socrates demonstrabat picturæ finem esse « animum, vel intimam hominis partem exprimere (1). » « Ex arboribus et campis nihil est quod discam, ait in Phœdro (10); ex civitate solâ et hominum usu fructum capio. » Imò, in hominis naturâ, id modò curat quod æternum est; quod autem fluxum est et caducum, vitæ scilicet illecebras, quibus pictura attendit, et quibus capimur omnes, pro vacuo et periculoso ludibrio habet : nam ex arte nihil aliud quàm simulacra oriri; artificis propositum « οἷον ὄναρ ἐγρηγορόσιν ἀπειργασμένην (2); » « umbram parvulis, nondùm rationis participibus, ex longinquo monstratam, ut de ejus firmitate et soliditate errent (3). » Quæ sensum φαντάσματα animum a rebus verè existentibus, scilicet ab Ideis

(1) Xenoph., *Memorab.*, III, 10.
(2) *Soph.*, L.
(3) Ibid., XXII.

æternis, amovent. — Pari ratione, quisquis naturæ speciem exactam in operibus suis effingit, hunc contemnit et damnat Michelangeli factio.

Jamjam, in Græciâ, nobilissimi artifices naturæ inspectionem et obsequium deseruerant : Praxitelem ferunt tres pulcherrimas Coas puellas ad exemplar elegisse, ut in unum opus, mente comprehensum, formas earum et sparsam venustatem contraheret ; imò (quod gravius est), patet eumdem sæpiùs Apollinis et Faunorum ambigua corpora adolescentium gratiâ simul et virginum decore exornâsse (1). Quàm longè a rerum imitatione, ex quâ artes omnes exortæ sunt, exstat talis complexio, et, ut ità dicam, mixtura !

Longiùs etiam errat Raphael, qui, dùm se naturæ studiosum et assiduum speculatorem in delineatis imaginibus præbet, aliundè in pictis tabulis plerùmque a rectâ veritate discedit. Non quia Praxitelis rationem ignorat vel improbat ; sed « deesse nunc pulchra exemplaria » contendit, et, si adsint, « se non eum esse qui optima discernere et eligere queat » ; idcircò se « *ideâ* quâdam uti, quæ in mentem venit (2). »

Raphael saltem ideam suam perpetuâ observatione et attentâ inquisitione fulcit : scilicet, Archimedem effingens, primùm Bramantem, cum nodosis ac ferè mortuis digitis imitatur ; et adhùc, figuram Angeli ad Coronandam Virginem persequens, sodalis cujusdam effigiem delineat (*Mus. Wicar*), nec singulares hujus vultûs notas omittit, vel ad tabulæ perfectionem inutiles ; (vide, exempli gratiâ, rugam quamdam inferiori dextri oculi

(1) Confer Zeuxidis et quinque Crotoniensium puellarum, apud Cic. (de Inv., II, 1) fabulam.

(2) « Ut pulchram mulierem depingere possim, *bisogneria vedere più belle* cum acerrimo aestimatore qui mihi auxiliaretur *a far scelta del meglio* ; sed deficientibus simul pulchris mulieribus et aestimatoribus, *io mi servo d'una certa idea che mi viene alla mente.* » (Epist. ad Balth. Castiglione, de Galateâ.)

palpebræ infixam). « Idea » illa ex imagine certâ, quæ jacet ante artificis oculos, eminet; illa est conversio rei, et quasi speciei metamorphosis; non est de improviso neque ex libidine creata; sed laborante ingenio, secundùm proposita in argumento signa.

Aliter Michelangelus : iste quidem naturam vehementer inspicere cœpit, sed eâ mente ut fœdera, quibus parere res videntur, discerneret et attingeret. Naturam demùm contemnit, et omni modo conatur ut ejus jugo se liberet, nihil aliud ex eâ quærens nisi ut instrumentum cogitationi prœbeat. Vitæ machinationem, funditùs perspectam et notam, ad usus suos, arbitrio suo, torquet et accommodat, et interdùm inexspectatos affectus per hanc viam impetrat. Subtilis corporum spectator, speciem « Hominis » universam ità sibi fingit, ut, neglectâ singularis formæ observatione, humanitatem ex integro creet, ad exemplar *Ideœ*, aut potiùs Dei, ex quo, tanquam principio et fonte, oriuntur omnes ideæ et res :

Come dal fuoco il caldo, esser diviso
Non puo'l bel dall' eterno; e la mia stima
Esalta chi ne scende, e chi'l somiglia (1).

Qui, quum in æternum tempus laboret, laborem suum circà caducas res retinere non vult. Quidquid tangit, id summæ potentiæ et ipsius necessitatis signo notat.

Præterea platonico idealismo tristitiam illam in se adjungit, christianæ disciplinæ insitam, quæ omnia in pejorem partem rapid. Haud secùs ac dilecta Victoria Colonna (2), rerum humanarum brevitatem mortisque instantem præsentiam mœstissime sentit (3). Natum se

(1) Sonnetti. 6.

(2) V. V. Colonnæ *Stanze :*

Quando miro la terra ornata e bella.

(3) V. *Canzone :*

Ogni nato la terra in breve aspetta
D'or in or manca ogni mortal bellezza.

in hoc defesso tempore demonstrat, quo videtur deficere vitæ studium simul et veritatis amor : in Deum solum, id est in æternam et incommutabilem perfectionem confugiendum putat, nullâ spe, nullâ voluntate ex rebus quæsitâ (1). — Platoni consentiens, picturam si modò eam sculpturæ compares (2), ob id ipsum spernit in quo vis ejus nostro judicio consistit, scilicet ob istam θαυματοποίιαν (3), quâ artifex rerum similitudinem vel potiùs simulacrum et umbram effingit. Sicut Platoni, illi fastidio est rei campestris pictura, quòd in eâ nihil aliud nisi incertam et inanem naturæ adumbrationem invenit, pueris et illitteratis ludibrium (4). Nec minore odio imagines hominum ex vivo desumptas repudiat, adulationem mediocribus ingeniis oblatam, et sensuum infirmitati præmium (5).

Mirum est his rationibus, quæ apud plerosque italicos XVI[i] sæculi artifices viguerunt, ingenuam Alberti Dureri, eodem ferè tempore, sententiam opponere : « Pictura ad usum Ecclesiæ adhibetur, ut dolores Christi et aliorum optimorum exemplarium oculis monstret ; illa quoque hominum, post mortem, effigiem servat (6) (1513). »

(1) Sonnetto 54, ad Deum.

(2) V. quæstionem Varchi.

(3) *Rép.*, X, 2-5. — *Soph.*, XXIII.

(4) « Si quis artifex depingere velit terram, montes, flumina, silvas, totum denique cælum, quodque in eo jacet, quodque in eo movetur, — quum nulla nobis insit harum rerum notitia, οὔτε ἐξετάζομεν, οὔτε ἐλέγχομεν τὰ γεγραμμένα, σκιαγραφίᾳ δὲ ἀσαφεῖ καὶ ἀπατηλῷ χρώμεθα περὶ αὐτά. » (*Critias.*)

(5) « Aborriva il fare somigliare al vivo. » (Vasari.)

« Nunquam Michelangelus effigiem ex vivo pingere voluit. » (Berninus, *Diarium*, XVII, 358, *Gazette des Beaux-Arts.*)

Unam tantum, ut aiunt, perfecit, scilicet amici sui Thomæ de Cavalieri, supra omnes dilecti. Pro lege habebat nunquam similitudinem viventis persequi, nisi species illa « infinitâ venustate » prædita foret.

(6) Cæterùm neoplatonica ratio parùm gratiae apud Germanos artifices obtinet : Holbenius, in scalpturâ : *Christus vera lux* inscriptâ, Platonem et Aristotelem, unà cum falsis doctoribus, in gurgitem dehiscentem præcipitat. — V. Müntz, *Italie. Age d'or*, p. 342.

Ex quo facilè intelliges cur Michelangelus Belgicos pictores, ob nimium veritatis expressæ studium, aspernetur, — haud secus ac plerique nostræ ætatis artifices picturam blandis argumentis addictam contemnunt; nempe artem istam, commotis tantùm sensibus et evocatâ fabulâ placere; per eam nihil aliud quàm vulgi suffragia perquiri, non sanè operum pretio sed rei effictæ momento; indè oriri seu religiosas imagines, quæ piorum lacrimas semper paratas, sine ullo conatu, nanciscuntur, seu incertas species « panniculorum, parietinarum, camporum viridium, arboribus obumbratorum, rivos et pontes, quod campestrem picturam vocant, cum nonnullis passim interjectis hominum figuris. » Istius modi imagines vulgi semper favorem obtinent, nec ullâ aliâ parte feliciùs se expandit minimorum artificum ingenium : satis est curiosâ mente et perspicacibus oculis frui. Itaque « Belgica pictura muliere maximè alliciet, præsertim vetulas et adolescentulas, nec non et monachos vel monachas, etiamque nobiles quosdam viros ad veram harmoniam percipiendam cæcos et surdos (1). »

« Quæ quamvis quosdam oculos, imò animos, decipiant, nulla in iis inest ratio, nec ars, nec convenientia, nec symmetria, nec delectus rei, nec magnitudo. Species istæ sine corpore, sine robore sunt... Nostris tantùm operibus, in Italiâ confectis, dari potest verum picturæ nomen. Hæc non ad pios pertinent, a quibus *nunquam unam lacrimam elicient* (2). »

(1) V. relationem Francisci de Bataviâ : *Dialogus de picturâ in Urbe Romae*, in libro : *Les arts en Portugal* Comte Raczynski (Paris, Renouard, 1846).

Quò meliùs rationem Michelangeli confirmet, Victoria Colonna, quæ colloquium regit, belgicæ picturæ tutelam excipit, simul et religiosæ artis, in Septentrione vigentis, et optimè ad consolandos animos accommodatæ. Sermo ejus, etsi paululùm declamatorius, sed sine dubio sincerus, in lacrimas desinit, subeunte præteritorum dolorum memoriâ.

(2) « Pictura belgica piis naturâ placebit, plus quàm ullum italicum opus. » (Ibid.)

Nihil in hoc fastidio mirabile : quis verè artifex, quum tot mediocria opera videat, deceptâ vulgi facilitate et ignorantiâ, cæteris flagitiosè antecellere, quis Michelangelum non probet, se facilioris gloriæ participem fieri renuentem? Verùm indignatio illa, quæ viro decori est, non sine quodam artis periculo succedit, utpote quæ artificem procul a turbâ et ingenuis mentibus avertat, eumque in superbâ interioris perfectionis conscientiâ, aut in contemplatione secretioris ideæ, a paucis prospectæ, a paucioribus adæquatæ, includat. Quod ipse fatetur Michelangelus. « Bona pictura per se nobilis est et pia : nam, in sapientibus, nihil magis animum evehit et ad religionem efficaciùs incitat, quàm difficultas perfectioni inhærens, et impetus ad Deum conversus. Bona enim pictura est cœlestium perfectionum imitatio, et quasi divini penicilli umbra, aut etiam, ut aliter loquar, musica quædam et modulatio, cujus difficultatem solus perpendere potest acerrimus intellectus : idircò rarissimè eminet, eamque sentire et producere paucorum est. »

Pictura igitur est Dei harmonia, sive perfectæ naturæ et æterni luminis in mente humanâ expressio (1).

(1) Cf. Lomatium. « La bellezza non è altro che una certa gratia vivace et spiritale, la quale per il raggio divino prima s'infonde negl' Angeli in cui si vedono le figure di qualunque sfera che si chiamano in loro essemplari, et Idee; poi passa degli animi, ove le figure si chiamano ragioni, et notitie, e finalmente nella materia ove si dicono imagini et forme, et quivi per il mezzo della ragione, e del vedere, diletta a tutti. » — « Deum, ait idem, in tribus speculis resplendet (« in tre specchi posti per ordine ») : in Angelo, in Animâ et in Corpore. Angelus in se ipso relucet et formam suam in se effictam videt. Anima autem, in corpore inclusa, « ai ministerio [illegible] [illegible] suam obliviscitur et a corpore in servitut[illegible] « [illegible] bellezza del corpo non è altro che un certo [illegible] [illegible] risplende per lo influsso della sua idea, [illegible] materia, se ella non è attissimamente prepar[illegible] [illegible] ordinem membrorum); 2° Modo (id est, partium proportionem): 3° Spetie (id est, formam). Haec tria sunt in materiâ, sed nulla pars materiae ea continet, « si come affirma il Ficino sopra Il Convivio di Platone, dicendo che

Averte autem sinceram Michelangeli fidem; et pro illo animi ardore, quo immutatur apud illum Dei Idea in Ens verum ac vivum, cui artifex toto corde sincerè ac generosè jungi se conatur, — sume — ne dicam etiam ἄθεον virum, aut opinatorem qualem Primaticium abbatem, — sed modicè religiosum, et Concilii Tridentini præceptis parentem : ad illius mentem quid erit Deus? Scilicet rationis principium, nec ullo modo fons amoris et voluptatis. Et sic artis initium et finis in sapientis ratione constabit. Nempè rationi artem totam, — centum post Michelangelum annis — submittet Pussinius, qui facultates suas omnes, omnem ingenii copiam et gratiam ad id unum adhibebit ut *ideam quamdam* exprimat : « Quando perfecta est operis cogitatio, ait ille, opus ferè peractum est. » Sic formæ supereminet meditatio. Solus sponte suâ intellectus agit : cætera, ut similitudo vitæ, oris ductus et intentio, dialecticè computantur. Idea argumenti per se operis compositionem indicare valet, tabulæ centrum et circulum statuens, nec non et motus et symplegmata, definiens indolem personarum, affectus animi et vultuum speciem, posteà corporis adspectum (secundùm physionomica studia), naturam loci (quem rei convenienter accommodari oportet), denique totam operis pictorii elaborationem usque ad minimas partes regens; (diversi sunt enim pingendi modi, scilicet phrygius, doricus, lydius..., prout tractandum argumentum suave, aut grave, aut triste erit). — At saltem Michelangelo mysticus ad divinam perfectionem impetus ingenuam libertatem, in fortibus sensibus diffusam, relinquebat. Pussinius contrà nihil in aleam casûs remittit : ratio constituit opus, manus peragit. Hujusmodi artifex in-

l'ordine dei membri non è membro alcuno, perchè l'ordine è in tutti i membri, et nessuno membro in tutti i membri si ritrova. » (*Idea del Tempio della Pittura*, ch. XXVI, p. 83, 84.)

tellectu profectò abutitur. Ille quidem, eximio ingenio præditus, operi notam excellentiæ suæ imprimit : ideam, quâ artem fulcit, claram sanè et firmam ad laborem semper affert. Quid autem, si mediocres, in quolibet genere, auctores consideres, accidet? Etiam in litteris, paucos invenies per se ipsos cogitantes, vel aliorum cogitationem vi novâ concipientes. Quantò verò minor exstabit illorum numerus, si artifices corporeæ formæ addictos intuearis! Apud plerosque nihil aliud est « idea » quàm inflata et inanis imago speciem adventitiam referens. Sub umbrâ interioris, singulari actu concepti, exemplaris, isti naturam deformant, ab eâ paulatim discedunt, veritati terga vertentes, et, oculis superbè clausis, se ipsos unicè inspicientes.

Jamjam Frater Bartholomœus, linearis scientiæ et compositionis nimiùm curiosus, singularum operis partium vitam negligit, viminea corporum simulacra fabricans, ne ad viva exemplaria respicere cogatur. Artem suam non rebus fulcit, sed fœderibus, secundùm naturam quidem inventis, verùm in ipsius naturæ locum interpositis, et ingenuo sensûs sapore destitutis. Nunc exstat intellectus solus cum creatis suis, quæ nunquàm rerum commercio renovat.

Raró vivis exemplaribus utitur Julius Romanus ; frequenter verò cereis simulacris Barocius et Tintoretus. Parmesanus hominum effigies ex memoriâ pingit (scilicet Caroli Quinti), et, scholaribus præceptis obnoxius, naturam delineando corrigit. Primaticius et Rossus (Rosso) nudam veritatem spernunt. « La bellezza, » ait Lomatius, « è lontana dalla materia (1). » Veram prorsùs hujus temporis imaginem præbet iste Lomatius, pictor, — de pulchro semper ratiocinans, — cæcus.

Illi ipsi qui naturam reverentur et continuo com-

(1) *Idea del tempio, etc.*, ch. XXVI, p. 83, 84.

mercio animosè observant, eam videre nequeunt, quia illorum intellectus, sæpiùs mediocris, rerum species in transitu arcet, et secundum præcepta, in antecessum statuta, flectit : quod quidem nobis vana Caracciorum renovatio demonstrabit. Imò, ineunte XVI° sæculo, artifices multò præstantioris ingenii, intellectu jam impediuntur, quo fallitur in eis visus, obnubilatur sensus, retinetur actio.

De Michelangelo etiam taceamus, cujus omnes animi affectus in cogitationes evadunt, quique, ut ità dicam, ardentes ideas pingit et sculpit. Sed Raphaeli qui meram veri artificis (non ad ratiocinandum, verùm ad sentiendum nati), imaginem exhibet, scientia impedimento est : quod illa secum affert nihil sanè valet præ eo quod aufert, ut pote quæ mirabile arcanum destruat, ex quo ars potestatem suam ducit, scilicet delicatam et quasi floridam sensûs novitatem, secretumque nitorem affectûs. — Si Vasario credas, ante annum 1505, Raphael nunquàm de anatomicâ scientiâ laboraverat : res modò depingebat quales videbat, claro simul et poetico oculo expressas. Eo tempore, quùm ab Atalantâ Baglione negotium accepisset « Christum in tumulo depositum » effingendi, venit ei in mentem, loco suo, monstrare se nec nudæ formæ, nec quæstionum ex eâ pendentium, nec modorum modûs inscium omninò esse. Additque Vasarius illum non sine magno conatu nudarum specierum gratiam intellexisse, et artem contracta membra planâ effigie reddendi didicisse ; — idque Michelangeli imitatione comparatum. Cujus rei probationem affert insolitus graphidum de hâc tabulâ numerus. Constat Raphaelem assiduo nisu se ipsum contorquere, naturam interrogantem, ossa ad habitum vivi corporis disponentem, ut Virginem ad vivum imitaretur, magistris insuper omnibus, Perusino et Mantiniâ (Mantegna) et Michelangelo invocatis. Editum denique in lucem opus,

quàm frigidum et declamatorium, præ cæteris ejusdem operibus, videtur! Distorti gestus, jactantiores habitus oris, obsoletæ et vulgares figuræ; recta quidem compositio, computato temperamento librata, et gravi numerosoque motu adstricta; tandem propositum quoddam proscenium in quo versantur nobilissimi actores, non autem Evangelicæ personæ, neque etiam ullæ viventes personæ. — In eximiâ, ex *Officiorum* musæo (Uffizi) desumptâ graphide, quæ longos conatus, non autem studii finem, resumit, quamvis eadem ferè adsit tabulæ summa, tamen, in actorum specie, junior animus, audentior, ac solutior eminet. Deest sanè insignis vultibus significatio; at saltem, in discipulo qui Christi crura sublevat, nescio quid verum ac familiare percipies, quod frustrà in truculento tabulæ athletâ perquiras. Ac præsertim homo, sub pondere divini corporis inflexus, dolorem suum vehementi et liberâ iracundiâ exprimit, quæ, perfecto opere, in piam gravemque deprecationem, Guidi prænuntiam, immutabitur. Sic ultima naturæ vestigia in transitu ex adumbratione ad pictam tabulam evanescunt, — ut omittam adhùc illam sensûs vim et ingenuam novitatem, quæ jamdudùm marcida est quum artifex ad delineationem accedit.

Quod quidem provideri facillimè poterat : « Quælibet enim scientia, seu anatomica, seu scenographica aut geometrica, nunquàm homini facultatem dabit divinandi qualis esse et quomodo apparere res quædam *debeat*, si eam qualis *est*, et qualis verè apparet, prius ille non viderit (1). » Isti verò pictores imprimis quærunt quid generaliter, secundùm corporum et animorum naturam, *deceat*. Argumentum operis non ex cogitatione liberâ nec poetico instinctu exspectant, sed contrà species menti obvias curiosè reprehendunt, perscrutantes nùm

(1) John Ruskin, *L'Esthétique anglaise*, par J. Milsand (Paris, 1864).

motus et sensus, quos personis tribuere intendunt, scientiæ et rationi congruant. « Virginem Sanctam, etiam maternâ desperatione afflictam, scholastico, et, ut itâ dicam, academico consilio concipere sustinent : scilicet primò corpus, vel osseum, adumbrare, et nervis, dolori accommodatis, perdoctè circumvolvere; posteà nudam ac desolatam membrorum gratiam, modo antiquo, velamine induere; tandem exquisito lacrimarum nitore et pallore delicatè efficto, absolutam Matris Dolorosæ imaginem perficere! Qui hanc rationalem viam sequitur, oportet profectò verisimilitudinis maximè studiosum se præstare; atque itâ fit ut decorum et significatio operis, rerum unitas et summatim *omne quod decet*, ad pictoris mentem non minùs necessarium judicetur quàm colorum delectus et veritas formæ. Illi sæpiùs dictitaverunt speciem Christi *dignam* esse debere, Apostolorum *vividam*, Virginis *castam*, puerorum *candidam;* et statim, secundùm novas istas leges aut potiùs κάνωνας, cœpit pictor diversas apostolicæ sublimitatis, vel virginalis suavitatis, aut puerilis simplicitatis temperationes componere; quæ satis est expertes ridiculorum vitiorum et repugnantium olim solitarum videri, ut pro rebus veris habeantur, tanquàm species ex sincerâ religiosæ historiæ memoriâ exceptæ (1). »

Ille quidem Raphaelis « *Christus in tumulo depositus* » primo præclarum exemplum affert istius modi operum quæ intellectus simul generat et obruit. Nec sine significatione est universi XVI^{mi} sæculi admiratio : nulla unquàm Raphaelis tabula tot laudes adepta est. De illâ insolito studio Vasarius loquitur : « In hâc divinâ picturâ, ait, Raphael dolorem secutus est parentium quos subito mortuus quidam deserit, carissimus et secum honorem, virtutem, et fortunam totius familiæ

(1) J. Ruskin, *Ibid.*, p. 118.

abripiens. » — Insolitam sanè laudationem, quâ æquiparatur Dei sepultura cum funebri hæredis cujusdam pompâ, et invocatur familiare damnum ex hâc civili morte receptum! Verumenimverò Æschyliani, quos Mantinia (Mantegna) exhibet, furores, etsi parùm religiosi, digniores tali argumento videntur, — imò constrictus ille dolor, ex animo fluens, quem apud Giottum et Angelicum invenies. — « Medius fidius, clamat Vasarius noster, certe habet quod miretur qui diligentem curam, amorem, artem, gratiam considerat, quæ ad perficiendum opus illud Raphael adhibuit! quicumque illud spectat admiratione completur, adeò vividi adsunt vultus, venustæ vestes, quid multa? adeò integra eminet in omnibus argumenti partibus perfectio. » — Vasarii quidem prædicatio non minùs sibi consentanea videtur quàm vituperatio nostra (1). Non datur ullum Raphaelis opus in quo magis ars pateat, minùs verò artifex. Nihil ferè superest ex eo quod nativam ingenii animam et quasi proprium odorem vocabimus. Animi illius verè Ombriana gratia stillatim per graphidas exsudavit (2). — Diem gravem in artis historiâ insignit hæc « *Depositi Christi* » tabula, in quâ triplex reperitur vitium quo pictura XVI^{mi} sæculi peribit : scilicet, ut recentiori stilo utar, sensûs proprii abdicatio pro scientiâ et ratione, et magistrorum disciplinâ (3).

Falsò tamen crederes periculosam hanc viam esse a Raphaele monstratam, ipsumque Raphaelem in eâ ingenium suum dissipâsse. Præterito contrà hoc fastidii

(1) Vasarii laudes in eas potissimùm partes rectè incidunt quas nos maximè vitiosas ac frigidas judicamus : « Notabis præsertim Sanctum Joannem, compressis manibus, caput talis modi gestu inclinantem, ut durissimos animos frangere valeat. »

(2) V. graphidas in : Musée du Louvre, Uffizi, British Museum, Albertina, Oxford, Malcolm, etc.

(3) *Tres Theologales Virtutes*, quæ majorem, nescio cur, laudem apud plerosque obtinuêre, non minùs frigidæ et concinnatæ videntur.

momento, quo divinus afflatus sub nimio intellectûs studio obrui videbatur, evadit Artifex liberior ac sincerior, junior simul ac maturior, imò fortior, præsertim in picturis udo tectorio illitis quæ rapidum laborem nec longas meditationes admittunt. Sed illud propriæ naturæ suæ debet, cujus indomitus vigor omnia extranea alimenta redigit, integrâ remanente innatâ ingenii vi. Ubi autem cœpit deficere valetudo, et vires jussis operibus (1), voluptate simul et labore excedi, in eadem, quæ in « *Christo deposito* » deprehendimus, vitia rursùs incidit. Cogitatio quidem, in arte suâ, semper sublimior enitet, poesis autem restinguitur. Ultima ejus opera, scilicet *Transfiguratio*, et graphides ad textilia paratæ, libertate ità carent ut dicas necessitate quâdam jussa esse et computata. — Nonne autem omnis res, omnis natura sincera et absoluta, sicut flos, animal aut quodlibet vivum, pari imò majori necessitate fruitur, quàm ista rationis semper angustæ et imperfectæ inventa?

Si Raphaelis effigiem, paulò ante mortem, a Marco-Antonio delineatam inspicies, sanè miraberis quantùm immutatus vultus appareat : oculus acer et quasi febris ardore incitatus, labra severa, frons virilis, os elegans ac strenuum, cuncta illa voluntatem redolent cui fortis intellectus imperat. Quàm diversus a venusto, in « *Officiorum* » pinacothecâ depicto adolescente, aut etiam ab illo juvene pictore, quem « *Stanzæ* » ostendunt, molli et poeticâ segnitiâ amoris voluptatibus indulgentem! Vera quidem imago mutationis quæ in artificis operibus peracta est. In quâ sine dubio progressum in melius, quoad intellectum atque animi fortitudinem comperies, sed periculum quoque, quoad artem ingenuo flore destitutam. Atqui ille, si vixisset, fortasse in cu-

(1) Picturæ udo tectorio illitæ, textilia, topiariæ ornationes, templum S[ti] Petri, plura palatia, exemplaria ad aurifices, ad sculptores et scalptores, antiquarum relliquiarum custodia, etc.

pidinibus suis vim invenisset indolis suæ temperamentum, ratione et intellectu diruptum, reficiendi ; saltem, in pluribus operibus, decorum exemplar talis harmoniæ dedit, aliis ferè inviæ, utpote quæ tot eximias facultates dotesque contrarias requirat, velut in humanitate perfectâ et completâ cogitari potest. — Ne igitur Raphaeli vitio vertamus quòd italicæ artes procul a rectâ viâ erraverint (1) : ille immoderatum intellectûs studium non creavit, sed ex amicis Bembo, Bibbienâ, Barth. Castiglione, excepit, vel potiùs damno suo passus est, et insigni clade suâ confirmavit.

Quo nobiliori morbo Andreas del Sarto graviùs etiam laborat, cui neque vis neque intelligentia Raphaelis inest. Quum in illo cogitatio non possit instrumentum ad agendum et creandum sufficiens fieri, nihil aliud e scientiâ requirit quàm extraneam, et, ut ita dicam τεχνικήν artis perfectionem : quâ disciplinâ delicatam naturæ suæ gratiam amittit, quæ reverâ Raphaelicâ gravitate et perennitate eget, et juventutis decore tantùm nitet. Prædicatæ ejus udo tectorio illitæ in *Scalzo* picturæ, (florentinæ artis fastigia), in quibus motus omnes personarum recti sunt, figuræ veræ, corpora acriter efficta, ingenuitate admodum carent : ibi omnes partes tales prorsùs sunt quales esse decet, et necessitas illa liberis ingeniis molestissima videtur, quippe quæ nullomodo operis argumento inhæreat, sed exterior sit, et, si licet ità loqui, corporea, ex lineis non ex animi sensu pendens, adeo ut illic pro forti ingenio ratio certa imperet (2). Operis quidem summa undique statuta est et

(1) In hoc ordine parùm æquum foret idem Raphaeli ac Michelangelo momentum tribuere : Michelangeli auctoritas propria et singularis est; nihil aliud quàm ejus indolem exprimit ; Raphaelis contrà opus totius temporis mentem ac voluntatem fato quodam resumit.

(2) In picturis de *Annuntiatâ* (dell' Annunziata), deficiente artificis ingenio, figuræ plures iterantur, bis et ter eadem imago, ex obliquo efficta, idem oris ductus, in uno argumento. (Vide *S. Philippi mortem*.)

quasi in æternum prædicta : quibus autem rebus talis æternitas attribuitur? Oribus paululùm vulgaribus, aut saltem vacuis mente et indifferentibus. Exilem istum Andreæ sensum et leve ingenium oportebat semper naturæ commercio inniti, nedum scientiæ, ad frenandos ingenii impetus aptæ, inserviret; nec dubium est sinceriorem se in graphidibus quàm in picturis artificem præstare. Interdùm enim extenuatas vires naturæ studio renovare conatur, sed frustrà : nempe in ipsâ rerum contemplatione eminet nimia artis cura, quæ, perfecto opere, necessariò dominabitur.

Sed corruptela ista originem suam altiùs quàm ex Raphaelis et Michelangeli tempore repetit : jam tota in Leonardo apparet. Perpetuò quidem, in hoc præsente studio, Vinci sententiis utemur, ut periculosas Michelangelicæ factionis necnon et Caracciorum rationes impugnemus; imò ostendemus veram tanti ingenii hæreditatem, procul ab Italiâ, Batavis et Hispanis magistris, naturæ curiosissimis, (exempli gratiâ Rembrandt et Velasquez), obvenisse. Fateri tamen oportet Leonardum plus etiam quàm cæteros isto intellectûs abusu infestari. Immoderatum ille locum cogitationi et scientiæ rationibus in artificis institutione tribuit; nullam rem videt quin quæstiones omnes, latentes causas et longinqua principia, ex eâ pendentia, excutiat. Cavet sanè ne subtili judicio dissolvatur animi impetus, et opus semel inchoatum in altitudinem recondit, ut artificem omni memoriâ et præceptorum respectu liberet (1). Talia monita illum periculi minimè inscium denuntiant; sed quid? Tempusne adhùc ad id vitandum superest? Poterit aliquis, supremo voluntatis conatu, animi libertatem, intellectui jamdudum subditam, restituere? Tali incepto solus par foret Leonardus, æternæ

(1) *Trattato della pittura*, II, 63.

juventutis gratiâ, quam ex ardore sensûs et inexhaustâ vitæ amorisque facultate adipiscitur; nec jam potest ipse fato obstare : argumento sint perpetua ejus dubia, et inquieta studiorum agitatio, quâ fit ad perficiendum quodlibet opus inhabilis (1). Magnum illud cor impedit et refrigerat intellectus. Nullum opus reliquit in quo opere evectus videatur. Defuit valida et efficax inventio. In unâ re excellit, prope divinus, scilicet in quodam imaginis humanæ genere, ad cogitationis suæ exemplar accommodatæ, quum speciem semotam aggreditur, et naturam poetico labore iterùm creat, vel potiùs, magicâ quâdam potentiâ, ignotis et secretò jacentibus illecebris, exornat.

Mirandus ille animantium creator qui fortâsse omnes cæteros in picturâ superavit, duplici poeseos et scientiæ potestate, quâ se in ipsius naturæ mentem insinuare valuit (« trasmutarsi nella propria mente di natura »), artifex ille qui terram speciebus veris etsi non existentibus, cogitatis simul et solidis, complevit, quique Atheniensis Shakespeari nomen nobis meruisse videtur, — idem contrà timidissimus exstat ad concipiendas et exprimendas actiones in quibus divinæ illæ personæ in æternum humanis oculis vixissent. Sæpiùs intervenit in inventione voluntas et ratio. Imò, si liberè loqui licet, *Cœna* ipsa, absolutum artis miraculum quoad compositionem et mentem, nescio quid frigidi redolet. Pictor, supremo artis conatu, unumquemque Apostolorum separatim signare sensu quodam, aut verbo, aut gestu cuique proprio et tamen ad tabulæ summam accommodato, voluit : præclaram sanè voluntatem, sed quæ, in effectu, inutiles difficultates gignit (2).

(1) In quo notam animi malè temperati, nec ullo modo præstantis ingenii, reperio.

(2) Ne plura exempla afferam, quid de hoc Apostolo censendum qui, uno levato digito, numerum *unum* in Christi verbo notat : « Unus vestrûm me traditurus est. » — « Unus ? »

Deest nobis sola, quam Leonardus unquàm depinxit, vehemens actio, scilicet « *Pugna apud Anghiari* » : de hâc tantùm judicare possumus a pulcherrimâ Rubentis graphide, qui profectò ardorem suum laborando operi addidit, nedum illud refrigeraret. Atqui turbata hæc acies, terrore et violentiâ ex omni parte exundans, potiùs voluntatem quàm impetum declarat; adeò exacta eminet cujusque figuræ subtilitas ut pugnæ species evanescat.

Quod quidem clariùs etiam ex ejus « *Descriptione pugnæ* » intelliges (1). Primùm mirabiles notationes affert Leonardus de circumfuso in universo opere lumine, de fumosis et pulvereis nebulis, simul confusis quanquàm separatis, de equorum cursu, de vestibus, etc. Posteà, pugnantes aggressus, sic describit : « Ille in solo jacens, alterâ manu terræ innititur ut corpus sublevet, dùm altera, palmâ in hostem versâ, exterritos oculos tegit... Finge moribundos dentibus frendentes, et crura torquentes. Videas militem quemdam armis destitutum, prostratum, in hostem se convertere, et dentibus unguibusque crudelem ultionem persequi. Alius feritus, terræ accumbens, scuto se tegit, dùm hostis pronus conatur ut cædem conficiat. Multi homines uno globo in mortuum equum cecidêre. Incedunt autem victores, capillis aliisque levibus rebus ad ventum volitantibus, contracto supercilio, contraria membra alternis motibus agitantes. Victi autem pallidi sunt : horum supercilia juxta nasum eriguntur; frons mœstis rugis sulcatur; nasi alae sinu quodam secantur, qui curvatâ lineâ a naribus usque ad oculum ascendit : rugæ istæ ex apertis et elevatis naribus resultant. Labra, in arcum incurva, dentes altiores monstrant, et inhiant maxillæ tanquam ad clamandum et lamentandum. »

(1) *Trattato*, II, 145.

Quæ signa non dubium est quin Leonardus propriâ experientiâ, et forsitan in Imolæ obsidione observaverit : quàm multa autem in hâc diligente et concinnatâ pugnæ descriptione deficiunt! Reverâ deficit ipsa pugna. Ubi enim furor iste quo pugnantes unà invehuntur? Patet auctorem actione non moveri ; hanc modò curiosâ et quasi gratuitâ mente spectat.

Insuper gravissimum periculum ex istius modi notationibus exsurgit : quæ quidem rerum adspectum resumunt, sed, subtili Leonardi ingenio pertritæ, fiunt generales et soli intellectui æstimabiles. Qui post illum venient artifices, quum eas propriâ observatione renovare nequeant, ex iis tantùm nudam et a rebus abstractam ideam retinebunt. Pagina demùm ista parùm a magnificis et frigidis jactationibus discrepat, quæ in fine sexti decimi et per totum septimum decimum sæculum pervaluêre. — Et illud evidentiùs etiam ex 139, 140, 141, 142, 143, ejusdem operis capitulis constat, in quibus dantur certa præcepta ad fingendum puerum, senem, feminam, anum, etc. (1). In his intellectum acutum, argutum festivumque deprehendas, verùm nimis pronum ad dicendum de universo, ad convertenda omnia facta et res in genera ac leges (2) ; quæ posteà per se ipsa valebunt, nedum a recentioribus recognoscantur.

Quòd si anteriorem etiam italicæ historiæ ætatem repetamus, apud Mantiniam (Mantegna) ejusdem vitii principium reperiemus. Mirum est quantùm ille, etsi

(1) § 142 : « Come si *debbono* figurare le vecchie. — Le vecchie si debbono figurare ardite e pronte, con rabbiosi movimenti, a guisa di furie infernali; ed i movimenti debbono parere piu pronti nelle braccia e teste che nelle gambe... » Etc.

(2) Frustra Leonardus ab isto ingenii habitu se tuetur. (V. 122, 123 cap., contrà anatomicæ scientiæ incommoda.) Id studium historicâ ratione aggreditur, corporis varietates per ætates diversas et naturæ indoles sequens, — exempli gratiâ hominem a puero ad senem observans. Sed hominis generi tantummodò plura genera, scilicet pueri, adolescentis, viri, senis, substituit. Hi verò sunt, græco more, κάνωνες.

corporearum specierum maximè curiosus, et vehementi nec non et truculento penicillo instructus, mero intellectús cultui addictus sit. Illi formæ scientia, ut ità dicam, non formæ sensus inest. Corporeis affectibus, non corporis motibus detinetur. Raró « figuram » separatim et in se ipsâ pingendam libenter tractat, speciei significatione maximè devinctus. Etsi longè ab Hispanis absit, non secùs ac Velazquez, acerrimum se corporeæ veritatis amatorem præbet, sed aliam ex eâ voluptatem, intellectûs, non sensûs, excipit. Cupiditatibus in opere suo effictis, vehementissimè, usque ad amplificationem, commovetur, et formas, quibus illæ expressæ sunt, tanquàm signa admodùm exacta persequitur. Sermone præclaro simul et vero utitur, mentis suæ imagine, et quidquid dicere vult, sine dubitatione et errore dicit; qui autem sermo, nec blandus neque ad sensus conversus, ob id unum ad verba spectat quód ista cogitationis speciem in se ferunt. Mantiniæ demùm ars hujusdem ordinis est atque Cartesii aut Pascalis, aut alicujus ex fortissimis illis viris qui scribunt ut aliquid efferant, nec tantummodò ut scribant. Ars illa doctissimæ quoque musicæ comparata fuit; nonnulla enim similitudo apparet inter hujusmodi picturam graviter vehementem, et accentus Sebastiani Bach μέλοος, in quibus auctor dissonantias quasdam, peritis nostræ ætatis tam gratas, sponte suâ requirit, nedùm reformidet. Nos autem aliâ mente ac veteres artifices de re judicamus : voluptas nostra luxuriâ quâdam cerebri imbuta videtur, dum Sebastiani Bach aut Andreæ Mantiniæ delectatio subtilem intellectùs industriam redolet. Nos rariorem sonorum concinentiam quærimus quâ aures nostræ oblectentur; illi rationalibus, ut ità dicam, deliciis, et quasi mathematico gaudio fruuntur.

Verùm hæc non propria quorumdam modò artificum, sed universa ipsius italici ingenii nota est. Dictitant

quemcumque hominem, vel sanum, in se morbi semen ferre quo moriturus est. Sic, a primo florentinæ artis, adhùc naturæ studiosissimæ, principio, dùm Paulus Uccellus, Castanius (Castagno), Petrus della Francesca, strenuè luctantur ut naturæ arcana penetrent et ejus viribus potiantur, pictura ista, nimis diserta ac cogitata, citiùs ultrà specierum velamen incedit, et ideas generales, ex rerum et intellectûs fœderibus ortas, id est linearum et motûs et luminis scientiam, uno verbo *orbis mathematicam* deprehendit (1). Solus corporeæ sanitatis innatus vigor et impetus ille quo priores ætates, recens artis participes, externæ veritati se tradunt, paulisper italicæ indolis dotes ex æquo temperavit. Mox autem diversis causis diruptum est fragile hoc temperamentum; quas nunc excutere operæ pretium est.

(1) Tempus erit hanc indolis propriæ notam explanare, quando italicum ingenium Hispano et Belgico opponemus.

CAPUT II.

ARTEM XVI^{mi} SÆCULI IN DOMINATU ÆTATIS PRÆTERITÆ JACUISSE.

Istius artium inclinationis præcipua causa est nimia ætatis præteritæ auctoritas; quæ quidem omnibus gentibus excultis communis est, sed quâ Italia XVI^{mi} sæculi singulariter laboravit. Gravis sanè heredi est, quæ a ditioribus aut intelligentioribus parentibus venit hereditas; nempè propriam in illo voluntatem exstinguit. Quid agat, qui priùs fructum possidet? Raròo intelligitur veram actionis utilitatem in ipsâ actione jacere. Exitus enim, etsi perfectus videatur et pertinaci nisu partus, semper artificis voluntati impar remanet, dummodò grandis exstet artifex. Periculosa est operis admiratio etiam opifici qui illud edidit; quantò magis autem posteris, qui opus confectum, tanquam absolutum exemplar, exceperunt! Contentus et, ut ità dicam, expletus animus parùm ad augendam artem aptus est.

Sensus autem expletionis in arte XVI^{mi} et XVII^{mi} sæculorum universè dominatur. Ibi omnia ad frangendam voluntatem conspirant, eâ mente ut pateat perfectionem jam priùs adæquatam esse et illi modò indulgendum. Conveniunt omnia ad mulcendam innatam omni ingenio, præsertim italico, segnitiem, ad hebetandos juvenum animos, quibus perpetuò dictitatur inutilem et intempestivum esse conatum, — dùm, reverâ, nullo unquam tempore magis necessarium fuit ad majora niti.

Cogita enim quantas vires, præter rarissimas et quasi unico privilegio partas occasiones, vir quidam magni ingenii consumere debeat, ut simpliciter existat, et jus naturam suam exprimendi acquirat. Illi jam difficile erit per se ipsum verâ et forti ratione proprias dotes in lucem edere; multò autem difficilius, in talibus temporibus, quibus (ut superiùs patuit) intellectu sensus omninò extenuatur.

Imò etiam adde adversùs rerum momenta, non sæpè secunda, luctandum esse; (atqui, crescente humanitate, homo minùs rudis et in dies mollior, subtilitate quâdam afficitur quâ, ad subeunda vitæ aspera nec non turpia discrimina, minùs aptus evadit); luctandum, et adversùs circumstantia omnia pugnandum. Crederes primoribus civitatis, intellectu præstantibus, nihil antiquius fore quàm ut aliorum libertatem et indolis fortitudinem foveant? Longè aliter : isti aliis ideas suas et mores et totam mentem suam imponere intendunt; eò impotentiore et procaciore animo post decora historiæ tempora assurgentes, quò exemplis insignibus evidentiùs innituntur, et gloriæ proximæ memoriâ, et disciplinâ nuper in liberis ingeniis, ex quibus orta est, vividâ et fecundâ, nunc autem mortuâ, et intellectum, velut plumbea Dantis tunica, obruente.

His causis quòd si legitimam et fœdere naturæ in dies graviorem gentis imminutionem addas, et adhùc facultatem alieno more, non jam suo, cogitandi intellectui oblatam, sanè apparebit nihil ad fovenda ingenia minùs secundum esse, quàm excultissimam ætatem, — quanquam forte accidit ut, ratione difficultatis devictæ, ipsa horum temporum rarissima ingenia perfectissimos ætatis aureæ artifices superent (1).

(1) Ita saltem de se ipsis judicant. Vide Colloquium Eugenii Delacroix cum Chenavard (*Journal de Delacroix*, II, 439).

Quàm multa et efficacia arti XVI^{mi} sæculi adsunt momenta, ut sine voluntate fluctum sequatur! Undique præcepta, regulæ, exemplaria, rationes consurgunt.

Antiquitas primùm copiosissimas opes præbet : si Vasario credas, summum recentioris artis culmen cum reperto Laocoone competit. Sanè quidem nonnullas antiquas statuas nôverunt priores illi artifices, quos magnorum ingeniorum « prænuntios » appellare solemus, — nec inutile est sarcophagum lapidem a Nicolao Pisano exactâ imitatione effictum, Lysippi signum ab Ambrosio Lorenzetto conservatum, Hermaphroditum a Ghiberto descriptum, memorare, necnon Donatelli imitationes, Squarcionis et Mantiniæ, et totius Paduani cœtûs studia. Sed optimorum operum, ab antiquitate desumptorum, non ita magnus, vergente XV° sæculo, fuit numerus. Duo celeberrima sine dubio erant Senenses (Sienne) Gratiæ et Apollo ex Belvedere; quorum perpauci artifices perfectam notitiam habuêre. Cæterùm apud plerosque non is erat veterum artium cultus ut antiqua exemplaria perquirere cuperent (vide Ombrianam factionem), aut intelligere valerent (vide Ghirlandaium, Botticellium, Philippum Lippium). Pauci eruditi, (ut Mantinia, Petrus della Francesca, Donatellus), nimis erant naturæ studiosi et præsenti vitæ addicti, ut ab istâ contemplatione frequenter se eripere possent et vellent.

Donatellus quidem, mirabili dexteritate, a diligentissimis antiquorum imitationibus ad novissima inventa transit (Judith, Magdalenam, Zucconem, Sanctum Marcum). Mantinia æquo ardore naturæ simul et romanæ sculpturæ studet; diceres etiam utriusque exemplaria ad ejus oculos vivere, pari animâ sed alio momento prædita. Veterum enim statuariæ species hominem egregium et naturâ præstantiorem monstrant. « Judicabat Mantinia (ait Vasarius), sculpturas antiquas nobis

formarum delectum offerre, nunquàm in viventibus repertum, quia perfectæ venustates per plura capita disperguntur, et nervos, ossa, etc. facilius distinguere est in marmore quàm in carne vivâ, in quâ pelle et obesitate velantur. » Nempè his perspiciendis signis non acerrimam illam curiositatem adhibet quâ diligens quidam veterum rerum investigator, aut pulchri speculator, antiquæ formæ speciem, fœdera et rationes inquirit. Hæc vero non alio modo nec minore ardore observat quàm Mantuanos homines : scilicet eorum vitam ingreditur, in eorum pectoribus respirat, eorum cupiditates mutuatur, aut eis proprias suas commodat. Quæ antiquitatis cura non ex mancâ et extraneâ eruditione, sed ex intimâ cordis cognatione oritur. Mantinia sine ullo conatu, romana emblemata et ectypas imagines plano adit, cum eis versatur, et alias etiam ad usum suum creat. Vehemens ille animus, corporeis doloribus, deformitatibus, feritatibus defixus, et in luctus non tantùm interiores sed sanguine et lacrimis expressos intentus, eodem studio, quo æquales Cæsaris, Circi furores et tormenta appetit. Superbam veteris Romæ, et generosam liberæ gentis fortitudinem, nec non tumorem, et corporeæ virtutis amorem naturâ sequitur.

Verumtamen, in ipso Mantiniâ, jam denuntiantur imitationis ab antiquo vitia (1). Figuræ duriores, ectyparum imaginum more, rigent; pictor a sculptore didicit quamque personam in se ipsâ et separatâ formâ, tanquam statuam in basi, considerare, et globum ex pluribus effigiebus, eâdem lege quâ sculptura, conficere. Dùm verò exteriores, et quasi corporeas artis rationes mutuatur, indolem suam liberam atque integram servat,

(1) Reverà sculpturæ magis quàm antiquitatis imitatio ibi vitiosa est. Qui Donatellum imitatus esset, profectò in eosdem errores cecidisset. Sed neque Donatellus, neque ex recentioribus ullus tantâ auctoritate frui poterat quanta occulta illa potestas quæ vocatur Antiquitas.

ferociori et audaciori animo præditus, quàm ut exemplarium similitudinem imitando affectet; neque ejus æquales antiquitatem satis nôrunt ut tale periculum adeant.

Mox autem, crescente in dies detectorum operum numero et momento, eorumque famâ usque ad optimorum magistrorum admirationem gliscente, quum insuper conarentur omnes ut praecepta et leges ex illis artis miraculis extraherent, non Italiæ demùm sed Antiquitatis renasci ingenium visum est. — Julio II° regnante detecta sunt Truncus ex Belvedere et Arianæ effigies; Laocoon anno 1506; Hermes sub Leonis X[i] principatu; Arrotinus inter annos 1534-1536; Hercules Farnesius itemque Farnesius Taurus anno 1540; Meleager anno 1550, Pompeius 1560, Vas Borghesianum et Faunus cum puero eodem ferè tempore, et Niobes liberi anno 1583 (1). Quomodò mirandæ illæ ætatis jamdudum exstinctæ, nunc resurgentis, reliquiæ ingenuarum artium progressum cohibuerint, facilè intelligitur, præsertim quum omnia illa exemplaria, in quoddam disciplinæ corpus coacta, omnibus ingeniis tanquam ex necessitate orta apparuerunt.

Rapida et completa fuit mutatio. In Leonardo, qui anno 1519 moritur, nullâ parte veterum contactus neque imitatio deprehenditur. Raphael ipse antiquitatem non noverat priusquàm Romam, anno 1508, iret. *Codex* ejus *adumbrationum* felicem hanc ignorantiam testatur, in quibus latini philosophi et poetæ sese tanquàm bonos ex Ombriâ senes, scholarum magistros, aut oppidanos, Perusino more, cives præstant. Sola antiqui

(1) Vide ap. Müntz, Romanos XVI[e] sæculo συναγωγὰς (*Raphaël*, 1881, p. 589-592).

Nonnullæ etiam picturæ antiquæ eo tempore notæ sunt (Sallustii et Titi horti, Quirinalis reliquiæ, villa Inghirami, tumulus viæ Salariæ, thermæ Diocletianæ, Tibur, tessellæ Palestrinæ, etc.). Sed sculptura præcipuum fontem ad instituendos artifices præbet.

operis, Senæ (Sienne) confecta, delineatio (videlicet *Trium Gratiarum*), liberrima videtur, et artem tradit adeò ab exemplari differentem ut non merâ imitatione, (qui enim ità cogitet, parùm æquè pictoris calliditatem æstimet), sed incertâ memoriâ efficta videatur : illaque ideò majus etiam momentum habet; nempè ostendit quàm penitùs italicâ indole imbutus sit Raphael, qui quidem primo antiquitatis occursu oblectatur, fideliter verò plebeiam vim et gratiam servat. — Urbem ingressus, iisdem illecebris vehementiùs capitur : ad veterum artem, ex ditissimis Romæ thesauris et simul ex litteratorum, ut Bembi Castiglionisque commercio meliùs notam, in dies magis exardescit. Jam doctissimis scriptoribus declaratum est quantùm his causis immutata fuerit illius ars et cogitatio. Dici potest Raphaelem antiquitati non ut artificem tantùm, sed ut historiæ investigatorem, incubuisse (1). Fossiones speculatur, Musea regit, antiqua opera comparat, delineatores in Italiam et in Græciam mittit qui monumenta notent, tentat cogitatam veteris Romæ speciem restituere (vide *Relationem ad Pontificem*, anno 1518 aut 1519); vitam inter Græcorum fabulas et inventa degit (cf. *Scholam Atheniensem*, *Parnassum*, *Psychen*, *Galateam*, etc.). Non modò res, ut vestes et arma, ab antiquis effingit, sed personas (Homerum, Calliopem, Marsyam). Exemplaria illa, quanquàm moderatè, ad illustrandam ideam suam, si forte natura deficerit, adhibet, neque unquàm substituit in locum naturæ, quam ex propinquo usque ad ultimam diem observat.

Sæpè quæsitum est quâ ratione et usque ad quem modum artifex antiquam aut extraneam speciem con-

(1) « Vorrei trovare le belle forme degli edifizi antichi; nè so se il volo sarà d'Icaro. Me ne porge una gran luce Vitruvio, ma non tanto che basti..., etc. » (Raphael ad Balth. Castiglionem, *Raccolta di lettere sulla pittura...*, etc. Roma, 1754. Barbiellini, I, 83.)

sectari possit : cui quæstioni Raphael verè et ad summum respondit. Ille nec conatur ut sibi antiquum animum veteres res tractanti reficiat, (ut nostri Poussin, David, Ingres), neque ut ex arte antiquâ sermonem quemdam concinnatum, ad exprimendam recentiorum vitam, educat, (ut in suis ἀλληγορίαις Lebrun et Boucher) : prior enim ratio commentitia est, altera fictitia, nec utraque aliud præstat quàm frigidam acceptæ disciplinæ cum innato vitæ sensu et observatione conjunctionem. Raphael ab antiquitate petit quod ingenii sui vim compleat et artem perficiat. Dùm immenso conatu eget ut ad Michelangeli magnitudinem perveniat, veteres contrà de plano adit. Ombriana ejus tranquillitas et quasi candida lenitudo sese, ipsâ naturâ et sine operâ ullâ, in græcâ serenitate eximiè expressam, agnoscit. Splendidissima antiquæ pulchritudinis imago ejus oculis apparet tanquàm species proprio ingenio præsensa. Ibi Raphaeli sua explanantur secreta studia : ratio ejus confestim æternas suas rationes detegit, scilicet venustatis leges et harmoniæ fœdera. Mentis suæ compos, fortiore et securiore voluntate, jam nunc progreditur ut ingenium suum in opera æterna diffundat, quæ neque antiqua sint, neque recentia, sed per se ipsa orbem completum ac perfectum fingant, — scilicet voluptatis aut sapientiæ species, quales molli illius animo sese offerunt Fornarina, Imperia, et pulchræ quædam aliæ ex Romanis puellis, aut quales diligenti illius intellectui occurrunt Bramans, Sannazarus, et Tebaldeus : quibus speciebus pictor ingenii potentiâ et visûs acie, adspectum æternum confert.

Vergente solummodò vitâ, quum in eo sensus et cogitatio lassitudine pariter laborant, sæpius et fictitio modo imagines ex antiquitate mutuatur (vide *Loggie*, *Pugnam Constantini*, textilia) ; figuras, gestus, sensus etiam subripit. Indè frigida ista in textilibus figurata

signa, et ἀλληγόριαι, quæ locum hominum vel rerum existentium, simul et verè perceptorum sensuum invadunt (ex. grat. Terræ motus, Oppida, Flumina, etc). — Cæterùm sæpiùs accidit ut magistri partes occupent disciputi, qui antiquitatem tanquam personarum ac vestium tabernam considerant, et ex eâ procaciter quæstum exercent.

Julius Romanus veteres nummos animosè perquirit (v. Vasarium), et diligentissimâ curâ columnas antiquas et anaglypta inspicit; quæ sæpè delineat et sæpiùs ad proprios usus accommodat. Complentur ejus opera historicâ et prisco more institutâ ornatione; diceres statuas ex basibus suis rectâ viâ in tabulas istas migrare. At saltem nimius iste veterum amor vehementi sarcitur corporeæ veritatis studio, quod sincerâ fide nec frigido pacto fulcitur. Artifex quidem non nobilissimâ antiquitatis parte movetur, utpote quis hebetis ingenii et cordis rudis sit : sed ex eâ expletur ferox et ardens, sensibus ejus innata, cupido.

Julius Romanus ultimus ex istis antiquitatis fautoribus exstat, quos barbariore stilo « paganos » vocamus (1). Cæteri, eruditione quâdam sed mediocri intel-

(1) Joannes de Udine (1487-1564) species ex Titi palatio delineat, quæ recens in S^{to} Petro in Vinculis detecti fuerant, et eorum insolens genus usurpat, quod in picturas delle *Loggie*, antiquo more cogitatas, transfert. Ille saltem ad hoc genus priùs et propriâ naturâ pronus fuit.

Perinus del Vaga (1500-1547) sese instituit quæsitis per ruinas antiquis ornamentis, et delineatis modò anaglyptis, modo Vaticano et Sistinâ Capellâ.

Polydorus de Caravaggio (1490-1543) antiquis, cum Mathurino de Florentiâ assiduè studet, sculpturam unicoloris picturis et solâ luminum umbrarumque ratione (graffiti) imitatur. Quidquid ex antiquis sculpturis superest, vasa, cippos, tumulos, balnea, arma, tropæa, anaglypta et ectypa, ad exactam similitudinem delineant. Jam a Vasarii tempore imitantur eorum monochromata, qui veteris artis scientiam discere volunt. Romæ domus ornationibus ab antiquo imitatis obtegunt. « Anaglyptorum præcipua notitia Polydorum incitavit ut effingeret pugnas et sacrificia, vasa antiqua, armorum tropæa, et ornamenta, quidquid antiquitas pulcherrimi in hoc genere peperit, referentia » (R. de Piles). — Ille mul-

lectu instructi, credunt absolutam pulchritudinis speciem, et quasi scientiam, a veteribus esse inventam, et satis habent si eam exactè imitantur, nedum ad novas res transferant. — Et mox crescet in dies illud vitium, quum ab externis hominibus, scilicet Belgis aut Gallis, usurpata fuerit hæc species, quæ extrà Italiam peregrina sanè et concinnata videbitur.

Nuper repertus est Martini von Heemskerck (1498-1574) liber adumbrationum (78 folia ex antiquo descripta, architectura et ornamenta; 80 statuarum delineationes — 1568), et Petri Jacobi, Remensis sculptoris (circà 1572-1577) codicilli. Pictor Hispanus Paulus de Cespedes de Corduâ (1538-1608) antiquas statuas Romæ reficit. Batavus Joannes Schoorl de Harlem (1495-1562) Belvederis custodiam exercet. Belgæ Lambertus Lombard (1505-1566), Lucas de Heere (1534-1584), Petrus Coucke d'Alost (1502-1550) rebus antiquis et præsertim nummis addicti sunt. — Nec insuper memorabo quomodo antiquitatis momentum et auctoritatem passa sit XVI° sæculo Gallia, quod nos ultra propositum abducat (Philibertus Delorme, Du Cerceau, etc.).

Magis etiam crescit XVII^{mo} sæculo illa auctoritas. Franciscus Perrier († 1650) duos libros relinquit imi-

tos discipulos instituit : Lamam, Renialem, Polydorinum, Marcum Calabresem, Grimacciam, Riccium, Stephanum, Giordanum, Vignerium, qui disciplinam ejus sequuntur, nec ingenium antiquum intelligunt.

Balthasar Peruzzi librum inchoat de antiquitatibus Romæ, et commentarios de Vitruvio cum figuris.

Addas Petrum Ligorium († 1580) cum quadraginta voluminibus manuscriptis de Antiquitatibus Romæ et veteribus artibus (Turin et Naples.)

Berninus cupit ut prohibeatur artis miracula ex Italiâ auferre; nempe ex his spectaculis summos in Italiâ artifices exortos esse. (*Diar*, Gaz des Beaux-Arts, XXIII, 271.)

Quibus opponas Leonardum qui nunquàm artem antiquam, ut institutionis instrumentum considerat. Semel tantum Græcos et Romanos memorat in fluitantium vestium imitatione excelluisse. In codice quodam (quem lord Ashburnham possidet), quæstionem suscitat utrùm antiquos an naturam imitari potiùs sit. (V. Müntz, *Raphael*, 138.) Deest responsum.

tationum a statuis et ornamentis antiquis. Delineat Lebrun quidquid Romæ ab anno 1642 ad 1646 videt. Qui, quum posset in se ipso et in circumstantium vitâ motus animi et quo modo exprimantur, inspicere, « doctos » adit, « qui talium rerum intelligentiam ei dare queunt », et præsertim vetera opera considerat. Pussinius ab arte statuariâ notas imagines ad tabulas suas mutuatur : videlicet Arrotino utitur ad fingendum cæcum in « *Jesus Miraculis* », Senecâ ad senem « *Mannæ in deserto* », Jove ad Christum, et passim uno ex Laocoontis filiis, apostolo quodam Raphaelis, etc. Illi satis est species illas ad argumenti conditiones accommodare, mutatâ secundùm propositum ratione. In quemdam ex Cæcis suis transfert « aliquid ex men-» surâ Apollinis et ejus compositione membrorum, » verùm cum minore gratiâ et decore quia pictor latitu-» dines et amplitudines exemplaris consultò auxit, ut » depictæ personæ humilitatem clariùs denuntiaret (1). » Usque ad vitæ finem pulcherrimas statuas veterum assiduò metitur. — Eodemque more agit Sebastianus Bourdon, qui etiam discipulis suis præceptum illud imponit : primùm ex antiquo fingendum, posteà ex naturâ, sed cogitatis mensuris et ad antiquorum exempla correctis (2).

Quam sententiam ità explanat et confirmat Berninus : « Necessarium est discipulos primùm antiquo more delineare, ut formetur eorum de pulchro judicium, quod posteà per totam vitam permanebit. Illis pereundum est si a principio ad imitandam naturam admittuntur, — quippe quæ ferè semper infirma sit et exilis, — quia, repleto ex istis imaginibus ingenio,

(1) V. Disputationem Sebastiani Bourdon (3 déc. 1667) et Le Brun (5 nov. 1667) (*Conférences de l'Académie royale de peinture et sculpture*, H. Jouin, 1883).

(2) « Comparando et circini operâ quærendum est nùm quod ex naturâ delineatum fuit, cum mensuris ex antiquo factis congruat. » (*Conférences de l'Acad. royale, etc.*, ibid.)

nihil unquam pulchri nec grandis neque ultra naturam ex se edere poterunt. Qui naturâ utuntur, oportet jamjam peritos esse ut illius vitia agnoscant et corrigant : quod quidem facere adolescentulus, veri pulchri inscius, nequit (1). »

Præcipua talis institutionis ratio in eo jacet quòd natura mala habenda sit, juxtà Michelangeli sententiam. Undè fit illud planè inexspectatum, ut immoderatum idearum studium, XVI^{mo} sæculo innatum, non solùm artifices a naturâ avertat, sed ingenuos eorum sensus, interpositis præceptis, aboleat, « quum non possit pri-
» vatus quidam homo notitias omnes possidere, nec
» sine ullo auxilio in difficultatem artium altissimarum
» et parùm cognitarum pervenire (2). »

*
* *

Antiquitas quidem maximum ex istis impedimentis est, verùm non solum. Perfectio, a magnis Italiæ artificibus expressa, sequentium obsequium pari rigore requirit. Longiùs dicemus singularem Corregii et Michelangeli auctoritatem, et ingentem « Raphaelium » et « Michelangelorum » globum, ex Belgio, Bataviâ aut Hispaniâ ortorum, qui in patriam suam incallidas summorum illius sæculi virorum imitationes et quasi iterationes transtulerunt. Ecce enim Raphaelis aut Sarti, quidquid vult dicere et quomodo vult dicentis, et nobilia semper cogitantis mirandam subtilitatem, et supremam illam ex animi magnitudine innatâque dotium harmoniâ manantem constantiam, disciputi discutiunt, et in præscripta et scholasticos codicillos distrahunt.

(1) *Diarium Bernini* (Gaz. des Beaux-Arts, XXI, 383).
(2) *Statuts de l'Académie de peinture*, 1648.

Vasarius totam Michelangeli Sistinam effingit, et « cuncta nihilominùs Raphaelis et Balthasaris ex Senâ (Peruzzi) opera cum Salviatio transcribit; nec satis habens si per totam diem delineavit, maximam insuper noctis partem ad repetendas sodalis sui delineationes consumit. » Neque operæ pretium est referre quo studio ille antiquas omnes quas unquam viderat, statuas effinxerit.

Bagnacavallus Bononiensis (1484-1542), Raphaelis in Loggiarum labore consors, adeò vehementer magistri partes consectatur ut insanum eum judicet qui talem virum superare, vel etiam æquare contendat; et judicium illud Bononiam transfert (1).

Franciscus Pennius, Florentinus (1488-1528), ejusdem Raphaelis jussis ita addictus est (in Loggiis, Farnesinâ, textilibus), ut appelletur « Il Fattore, » scilicet Procurator.

Dominicus Alfanius adumbrationes Raphaelis sine ullâ mutatione coloribus induit (2).

Leonardi autem et Michelangeli delineationes, ad Consilii ædes in Palatio della Signoria paratæ, picturæ italicæ, ab anno 1506, dominantur; nempè artifices omnes rationem suam simul et cogitationem ad illas species componunt, etsi exemplarium vim assequi impares sint.

(1) Benvenutus discipulos Raphaelis laudat Rossum occidere volentes, quia ille magistro obtrectaverat.

(2) V. Müntz, *Raphael*, p. 200. — Noti sunt illi Septem quos Lomatius gubernatores in Templo Picturæ statuit :

1. Michelangelus, cujus signum est Draco, scilicet Immota contemplatio.
2. Gaudentius Ferrari, cujus signum est Aquila, scilicet Majestas.
3. Polydorus Caravaggius, cujus signum est Equus, scilicet Impetus.
4. Leonardus, cujus signum est Leo, scilicet Scientia luminis et umbræ.
5. Raphael, cujus signum est Homo, scilicet Gratia.
6. Mantinia, cujus signum est Serpens.
7. Titianus, cujus signum est Bos, scilicet Sapientia.

Leonardus quum effingendam *pugnam apud Anghiarium* suscepisset, cunctas prælii cujuslibet circumstantias primùm excusserat et posteà mirâ perspicuitate, clariùs forsan et subtiliùs pro affectuum impetu, repræsentaverat. Michelangelus contrà, cui mandatum erat casum quemdam ex *Pisano bello* referre, historiæ et argumenti veritati terga dederat, homines nudos tanquam in balneo, scilicet decoras formas et liberos motus, meram in summâ pulchritudinem, depingendo.

Duo illi summi viri periculum cuique proprium opere suo parabant, alter rem nimis dispiciendo, alter artem a rebus nimis abstrahendo, — quod etiam gravius est; ambo intellectûs maximè studiosi, et in id pariter intendentes ut caducis vitæ illecebris et corporeæ veritatis aleæ subrogarent specierum actionumve necessariarum auctoritatem.

Quæ autem auctoritas subitò universa et imperiosa exstitit. Benvenutus, anno 1559, scribit : « Michelangeli delineationes in Mediceo palatio, Leonardi in atrio Papæ collocatæ fuerunt; quamdiù expositæ permanserunt, ædes illæ pro orbis scholâ habitæ sunt. » — Has enim attentè nec semel transcripsit Raphael, ab octobri 1504 ad quintilem 1505, et simul imitatus est Frater Bartholomœus. Andreas del Sarto, adhùc adolescens, plures dies in eâdem curâ consumpsit. Memorantur etiam innumeri artifices qui sese illis exemplis instituerunt : Perinus del Vaga, Rossus, Baptista Francus, Salviatius, Vasarius, Bronzinus, Rid. Ghirlandaius, Benv. Cellinius, Pontormus, Jacobus Sansovinus, Franciabigius, Aristoteles de San Gallo, F. Granaccius, Bandinellius, Mortuus de Feltre, Lorenzettus, etc.

Ex quo rerum statu primùm accidit ut omnes illi blandi ac strenui prioris ætatis pictores in invidiam subitam et quasi in exsilium caderent, scilicet Pinturicius et Signorellius Romæ, anno 1508, vix peractis Senæ et

Orvieti operibus suis optimis (1) ; Perusinus Florentiæ, anno 1504, statim post absolutam exquisitâ arte ædium del Cambio exornationem (2) ; et tot alii gratiâ, elegantiâ, vi etiam præditissimi, qui locum ingeniis, sanè quidem praestantibus, sed ultrà communem modum evectis, cedere debuerunt. Atque ità, inopinato prorsus rerum exitu, Leonardi Michelangelique miracula sequentis ætatis intellectum et studia coarctaverunt, nedum dilatarent et illustrarent (3). Omnes posteà ad eamdem pulchritudinis speciem se convertunt. Plures, ad libertatem et juventutis libidinem nati, dotes suas pro alienâ et concinnatâ magnificentiâ mutant. Qui primi in secundo ordine stare poterant, quales Raphaelinus del Garbo († 1524) et Petrus de Cosimo († 1521), ut proximam ætatem solummodo memorem, malunt postremi in primo ordine jacere (4).

*
* *

Soli excipiendi sunt ex hâc universâ Italiæ servitute Venetiani, felices in eo quòd procul a Româ et Florentiâ, in egregiâ solitudine unicæ urbis et lucis versantur. Illorum intellectus extraneis exemplaribus non impeditur, nullo antiquitatis studio affectus (5) ; ideòque

(1) Libreria Senensis anno 1507 perficitur, et Orvieti capella in fine anni 1504.

(2) Anno 1500.

(3) Cogita imprudentes murorum a Julio II° effectas eversiones, qui, in Vaticano, circà annos 1508-1509, picturas Sodomae, Perusini, Signorellii, Peruzzii, Petri della Francesca, Bramantini, Laurentii Lotti, J. Ruyschi, destrui jubet.

(4) Laurentius de Credi in circulum Leonardi, Rodolphus Ghirlandaius in orbem Raphaelis rapitur. Ab anno 1500, Philippinus Lippius gravem et teneram simplicitatem suam renuit, ut callidiorem eruditionem et depravatas jactationes affectet.

(5) Non modo deest studium, sed adest fastidium, ne dicam odium. Paulus II viros humanioribus litteris deditos, sine ullâ exceptione hæreticos vocat (Platina, p. 323. — V. Voigt, *La renaissance de l'antiquité*

nihil inter illos et naturam interponitur, quam, stupente Vasario, sincerè imitari audent. « Giorgionius (ait Vasarius), anno 1507 (1), cœpit operibus suis majorem lenitatem (morbidezza) ac robur (rilievo) decorâ ratione imponere, ob id præsertim quod assuevit res vivas ac naturales ante oculos disponere, illarumque adspectum directò et exactissimè imitari, tabulam primùm coloribus vel duris vel levibus, ut natura ferebat, adumbrando, nec ullâ anteà effictâ delineatione, sed protinùs et ipsis coloribus depingendo (2). » Notatu dignum est Titianum Romam octo et sexaginta annos natum primùm venisse (3); quod non desiderio sed

classique. Berlin, 1859, p. 207-213). Gregorius Giraldus (*Opera*, II, 439) considerat antiquitatis contemptum tanquam unam ex praecipuis causis cur res Venetianae tantùm floruerint (V. Burckardt, I, 91).

Bellini tamen Patavinorum auctoritatem passi sunt, et antiqua opera collegerunt. (Platonis caput, Venus, etc.) In primis Titiani adolescentis operibus reperiuntur argumenta et anaglypta antiqua.

(1) Reverâ, circa annum 1500, eodem tempore ac Palma et Titianus.

(2) Vasarii narratio utilis est ad cognoscendos non modò Venetianos, sed et Florentinos quorum usus et rationes explanat :

« Giorgionius non intelligit necessarium tamen esse, si quis compositiones rectè disponere et inventiones accommodare vult, illas primùm et variis modis in chartâ explicare, ut appareat quomodo omnia inter se coeant. Intellectus enim inventa sua in se nec clarè videre nec perfectè fingere potest, *nisi cogitationem suam detegat et ad oculos corporis manifestet, qui illud ad judicandum adjuvabunt*. Ne ampliùs memorem longissima de nudis corporibus studia ad intelligendum necessaria, quæ nec fiunt, nec fieri possunt nisi chartæ usu; nam continuò homines nudos aut vestitos sub oculis detinere, dùm pingitur, non parva servitus est. Quod si quis manum assiduâ delineatione formaverit, paulatim consequetur ut faciliùs laboret, et exercitationem arti miscendo, manum et intellectum habiliorem faciet, omni remotâ lassitudine et conatu. Adde etiam artificem, delineando in chartâ, *ingenium suum pulchris speciebus complere, et talem brevi fieri qui res omnes ex memoriâ effingat, nec illi opus sit eas ante oculos habere*, aut sub colorem illecebris ignorantiam formarum dissimulare, ut diutiùs egerunt pictores Venetiani, Giorgionius, Palma, Pordenonius, et alii qui Romam non viderunt. » (Vasarius, éd. 1881, VII, 427-8.)

Tota italicæ artis XVI^mo^ sæculo, causa et lis in hâc ingenuâ confessione continetur.

(3) Anno 1545. Illum Vasarius per antiquitatis reliquias conduxit. Eo tempore confecta est *Pontificis Farnesii cum nepotibus* celeberrima effigies. Titianus in ipso Belvedere deversabatur.

gaudio potiùs habendum est, quoniam ille, senex et gloriâ jam partâ cumulatus, tantam animi perturbationem ex rerum romanarum contactu accepit. Quædam Aretini epistola refert pictorem doluisse quòd non venerit viginti annis prius (1). Intempestivè quidem, nam illìc profectò ingenuum pulchrarum formarum amorem corrupisset, et sinceritatem, scholasticâ eruditione destitutam, quæ in illo XVI° sæculo, rarior et quasi novo sapore persulsa videtur. Plura in ejus delineationibus vitia notare et reprehendere meritò Michelangelus potuit; sed Titianus altrâ ratione perfectior ipso Michelangelo est, præsertim vivido et tanquam luxurioso naturæ studio, quo unus ex primis colorum moderatoribus, et primus admodùm ex ruris imitatoribus tempore suo evadit (2).

Debuit consuetudinem cum Michelangelo, ab anno 1529, Venetiis, jungere, quum procul a Florentia fugam cœpit. Post hunc enim annum, novum motûs, et scientiæ anatomicæ, et compositionis rectè ordinatæ, desiderium monstrat. (Eo tempore compositum est « *S. Petri martyrium.* »)

(1) V. Aretino, *Lettere*, 1609, III, 236-7.

V. adhuc Bottari, V, 53 : « Memini me a Titiano audire illum, postquàm Romam venisset, majorem perfectionem operibus addidisse, quia reverâ, seu delineationis vigorem seu colorum ardorem seu inventionis pulchritudinem seu imitationis diligentiam, hæc omnia illic in excellenti et exquisitâ specie invenias. » (G. B. Leoni à Montemezzano, 6 agosto 1589.)

Titianus septem aut octo menses Romae demoratus est, et anno 1546 (Idibus Martis) factus est civis Romanus. V. Lafenestre, *Titien*.

(2) Una tantum Titiani tabula, ruris prospectum referens, superest, scilicet *Tempestas* (Buckingham-Palace) ; scimus autem illum plures pinxisse et celeberrimas, in quibus figuræ secundum locum obtinent. Multæ ex iis scalpturæ et delineationes factæ sunt, quæ adhùc servantur (Louvre, Dresde, etc.) scilicet pagi in montibus, alpestres prospectus, messores, pastores cum ovibus, arboris adumbratio in Lillensi (Lille) musæo, etc. Quibus addendi sunt agrestes apparatus quibus circumdantur actiones in tabulis ejus effictae.

Ridulphus (Ridolfi) memorat campum cum militibus et animalibus, quem habuit Paulus de Sera. — « Inter omnes, ait Lomatius, ut sol inter minimas stellas, splendet Titianus, non solùm inter Italicos sed inter omnes orbis pictores, in ruris prospectibus non minùs quàm in figuris, Apelli par qui fuit primus inventor tempestatum, pluviarum,

Idem naturæ studium Paulo Veronensi innatum invenimus; sed ille ingenio suo interdùm longiùs ab exemplaribus abripitur. Nec magis auctoritatem subiit Romæ, quò quidem, tres et triginta annos natus se contulit (1) (post exactas Jesuitarum et Sancti Sebastiani picturas), sed ex quâ, post paucos dies, intentatus excessit. Vitâ et sanâ alacritate effunditur, lætus usque ad absurdum, et in omni re causam aliquam festivi risûs confingens. A Michelangelo, cujus tristiorem idearum cultum novimus, totâ viâ dissidet (2). — Deest

ventorum, procellarum, fulminum, picturâ effictorum. Ac præsertim ipse Titianus mirabili modo effecit montes, campos, silvas, umbras, lucem, maris et fluminum exundationes, terræ motus, animalia et omnia quæ ad genus illud pertinent. » (Lomazzo, *Idea*, p. 44.)

Quum Aurelius Luinius visendi causâ Titianum adiisset et quæsivisset quonammodo ille arbores locorum adspectui et imo horizonti accommodaret, Titianus ei tabulam penè adumbratam monstravit in quâ « nihil ex propinquo distingui poterat, sed omnia ex longinquo tanquam solis radio illustrabantur. » (Lomazzo, *Trattato*.)

Ruris igitur illi prospectus (ut ex delineationibus et testimoniis constat), secundùm recentiorum rationem, lucis et colorum similitudinem quærentium, cogitati erant, potiùs quàm ad fingendas lineas et formas, ut Andreæ del Sarto in operibus suis placuit.

(1) Anno 1565. Contendit Yriarte Veronensem illinc retulisse novum dignitatis sensum, præsertim in figuris nudis, quæ frequentiores fiunt, et novam etiam formæ statuariæ et corporum statûs curam. De quo non facilè judicabis. Magnæ enim Palatii Ducalis ornationes, a 1565 ad 1570 effectæ, in incendio anni 1576 evanuêre. Sed utile est memorare Paulum primùm sculpturæ se addixisse (Cf. duas statuas in Maser ædibus : Venerem et Adonin). Cæterùm ejus pingendi ratio ante annum 1565 admodùm statuta erat (*Canenses Nuptiæ*, anno 1562 peractæ sunt). E Româ quædam anaglyptorum et statuarum exempla tantùm portavit (Laocoonta, Alexandrum, Amazonas). Cf. Ridolfi.

(2) Cf. ejus sententiam de mæstâ similitudine Virginum, in superioribus artificum et imprimis Dureri operibus : « Se io haverò tempo giammai, voglio rappresentare sontuosa mensa sotto à nobil loggia, ove entri la Vergine, il Salvator, e Gioseppe, facendogli servire col più ricco corteggio che si possa imaginare; che gli somministrino in piatti d'argento e d'oro, regalate vivande, e copia di pomposi frutti. Altri siano implicati in recar in tersi, cristalli, et in dorate coppe pretiose vivande. » (In aversâ chartâ trium delineationum. Ridolfi, I, 307.) — Atqui videmus (Nota in aversâ delineatione, Vente Crozat) illum circâ Jesum, angelorum cœtus disposuisse qui coronas stellarum et spinarum, phœnicem, pelecanum, Solem et Lunam adportant, dum terra floribus et fructibus obtegitur.

illi sæpissimè subtilitas et ferè admodùm intelligentia (1). Quæ depingit, ob id unum eligit quod « pulchra sit eorum species, » ut Inquisitoribus respondet quandò in jus de scurris et animalibus in Cœnam divinam intromissis vocatur (2) : « Io fazzo le pitture con quella consideracion che è conveniente, ch'el mio intelletto può capire. » — « Quum in tabulâ quâdam, ait, mihi spatium aliquod superest, hoc inventis figuris orno. » — Nihil magis ab intellectu alienum, nec florentino aut romano ingenio repugnantius. Sed in illo omnia tam juvenilia sunt, nitida simul et quieta, tam ingenua est lætitia et tali vitæ amore imbuta, ut in hoc fucato et veternoso tempore, facilè princeps videatur.

In summâ, Venetiani XVI[i] sæculi salutem suam ex ardenti naturæ cultu educunt. Demùm tamen florentinus intellectus ultimam illam arcem invadit, et Tintorettus Michelangeli animam in artem tamdiù veritati soli addictam infelicissimè immittit.

Jamdudùm cæteræ Italiæ partes subditæ sunt. Atque ità scientiæ studia, anatomicæ notiones, rationis indagationes, antiquitatis et præstantium pictorum exempla, discipulis a scholâ imposita, cuncta ad abolendam delectûs libertatem et libertatis etiam cupidinem incurrunt. — Adde etiam divitias ab artificibus facilè partas, quibus luxuriosi fiunt et minùs ad duros conatus proni (3).

(1) Ait Berninus : « Veronensis tabulas ob colorem laudatas esse, sed nullum esse decorem nec dignitatem in operibus pictorum qui extrà Romam laboraverunt. » (*Diar.*, XVIII, 350.)

(2) Inquisitio graviter ei crimini vertit quod Germanos et eorum picturas imitatur, « nugarum plenas quæ Ecclesiam in contemptionem adducunt quò meliùs falsam doctrinam prædicent » (1573). — Infelix artifex simpliciter et sine malignitate respondet. Jussum accipit pumiliones, scurras, milites naso sanguinolento, et alias « scandali causas » expungendi.

(3) Crescit eorum fortuna. Cf. Dominum (Messire) J. de Udine, equitem Pordenonem, Sodomam, Titianum. Leonardus plures famulos et equos habet. Raphael 16,000 nummos (ducats) (id est 100,000 f.) relinquit. Ducentos nummos pro quâque Stanzâ excipit. — Cf. adhuc dilettanti,

Italici autem magis quàm cæteri stimulo egent. Oportet videas qui de Perusino, exempli gratiâ, fiat, ubi ex oculis aversus est hic « paupertatis horror » ex quo, si Vasario credamus, diù fortitudinem suam et laboris pertinaciam deprompsit. Maximis etiam ingeniis opus est ut assiduò ad finem, extrà vires positum, enitantur. Dicet aliquis acerrimum laborem plurium artificum XVI^{mo} sæculo viventium, et ardorem quo magistrorum præcepta et rationes persequebantur, satis differre a tempore isto quem ibi denuntiamus. Verùm in arte solus ille labor numeratur quo artifex ad videndum, sentiendum, volendum, judicandum, et sponte agendum sese exercet. Vanum est judicium, inutilis intelligentia, quæ vir ipse, ex integro, experientiâ suâ et propriâ vi non formavit.

At saltem intellectûs cultus, antiquitatis et scientiæ immoderata admiratio in Michelangeli naturâ temperamentum quoddam patiuntur, ab eo scilicet quod ille *Conatûs* pulchritudinem et quasi divinitatem sentit :

« Nihil hominem propiùs Deo admovet quàm *Conatus* ad edendum opus perfectum, quoniam Deus ipsa perfectio est (1). » (Lettere).

Quis autem sæpiùs ex modo « conatus est, » quàm vir ille qui sese assiduò excruciavit, qui semper lamentabatur quòd dies inutiles tereret, dùm Sixtinæ lacunaria picturis mirandis induebat (2), qui ex sanguine suo

figli di famiglia : Beltraffio, Rustici, Melzi, etc. (V. Müntz, *Hist. de la Renaissance en Italie.*)

(1) Raphael de *ideâ* suâ loquens, modestiùs dicebat : « Nescio an illa excellentiam aliquam in se ferat, sed optimè scio me graviter laborare ut eam concipiam » (« ben m'affatico d'averla »).

(2) « Semper torqueor; jam annus præteriit ex quo nihil a Pontifice excepi ; nihil postulo quia opus meum non satis crescit ut præmium mereri mihi videatur. Idque ex laboris difficultate provenit, atque etiam ex eo quòd ars ista non mea est. Tempus meum sine utilitate consumo. Deus mihi assistat! » (27 jan. 1509, ad Patrem suum.)

fictitias personas creabat (1), qui sublimium operum suorum tædio invadebatur, ubi ea peragendi tempus advenerat; — qui, ad ultimam diem, « flens, amans, fervens, suspirans, » speciem prospectam imploravit nec attigit (2), — et denique moriens non vivendi gaudium, sed interruptum laborem desiderabat (3).

(1) Die quàdam Michelangelus dicebat Ammanati : « Nelle mie opere caco sangue. » (Bernini *Diar.* — *Gaz. des Beaux-Arts*, XXV, 527.)

Ait Benedictus Varchi : « Signor Buonarotti, avete il cervello di Giove. » Respondet Michelangelus : « Si vuole il martello di Vulcano per farne uscire qualche cosa. » (Memoratum a Delacroix : *Journal*, II, 429.)

(2) ...Le fallaci speranze e'l van desio,
Piangendo, amando, ardendo, e sospirando,
(Ch'affetto alcun mortal non m'è più nuovo)
M'hanno tenuto, ora il conosco e provo,
E dal vero e dal ben sempre lontano.

(3) Cardinalis Salviatius, Michelangelo quum morienti assisteret, dixit ille se duo tantum desiderare, alterum quod ad salutem suam quidquid debuerat non fecisset, alterum quod periret quum artem suam solummodo inchoare incipiebat. (Bernini, *Diar.*, XXI, 388.)

CAPUT III.

DE ANIMORUM IMMINUTIONE.

Si ad illam Michelangeli modestiam revolvimur, quid de posterioribus et exempli gratiâ de isto Hieronymo Trevisano (+ 1544) censendum, qui Perino del Vaga dicere sustinet : « Che cartoni e non cartoni? io, io ho l'arte su la punta del pennello. »

Talis est istius ætatis mens. Vasarius scribere audet (in præfatione tertiæ operis partis) : « Jam nunc artes ad tantam perfectionem evectæ sunt ut, dùm superiores nostri tabulam unam intrà sex annos ederent, nos sex tabulas uno anno absolvimus. Hoc quidem testari possum, quia et fieri vidi et feci. Quod fingimus multò exactius et perfectius est quàm prædicatorum pictorum opera qui ante nos venerunt (1). »

(1) « In pingendis capillis Leonardus aliquoties sex annos consumebat; Corregius autem horam unam, et quatuor penicilli ictibus eumdem tabulæ adspectum obtinebat. » (Bernini *Diar*, XX, 453.)

Perinus del Vaga, venustissimus Raphaelis discipulus, in ortâ Florentiae disputatione, sese Masaccio æquare audet, etsi sibimet in arte suâ minimè princeps videatur, nec modestiâ carere putat quum sibi eumdem ac Masaccio vitæ sensum tribuit, cum majore etiam firmitate, et aliis dotibus quæ superioribus deerant.

Maximè autem patet quantùm duæ ætates inter se animo differant, si tristiori Michelangeli carmini (superiùs memorato), exultans illud Benvenuti Cellinii carmen, Commentariis ejus præpositum, comparamus :

« Hanc turbatam vitam descripsi, ut Deo naturæ gratias agerem, qui mihi vitam et dedit et curavit. Diversa enim et magni momenti incepta peregi, et vivo. — Sævum olim fatum vitam meam discriminibus com-

Mediocres tantùm animi de se ità gestiunt (1). Animi

plevit. Nunc autem mihi præsentat idem illud fatum tantam gloriam, tot merita, tantam gratiam, virtutem et pulchritudinem, ut permultos superem et illis qui me superaverant æquatus sim. — Ob unum vehementer doleo, quod tantum tempus, ut ipse fateor, superbiâ consumpserim. Fragiles sunt cogitationes humanæ, easque ventus rapit. — Sed quia inutile est pœnitere, contentum sorte meâ me æstimabo qui, Benvenutus, in flore illius dignissimæ Toscanæ terræ adeò evectus sim. »

Cæterùm Benvenuti superbia prope in insaniam desinit. — Ipsa antiquitas, si ei credas, nihil aliud valet quàm ut Benvenuti opera clariora comparatione efficiat. Ejus *Jupiter* ærea exempla obruit, quæ Primaticius a Româ portavit. — « Viri ordinis mei, ait, digni sunt qui loquantur cum Pontificibus, et Imperatoribus et summis regibus. In toto orbe duos mihi similes non reperias. » — Tandem se viventem *canonizare*, ut ità dicam, audet : « Nolo tacere mirabilissimam rem quæ unquàm homini contigerit. Scias enim, post enarratam superiùs visionem, mihi in capite hæsisse portentosam lucem, quæ clarissimè visa fuit a paucis amicis, quibus illam ostendi. Illam prospicere est, in umbrâ meâ, manè, per duas horas post exortum Solis, præsertim quum gramen rore diffunditur, et, vespere, circà crepusculum. Illam primum in Galliâ, Parisii notavi, ubi multò clariùs quàm in Italiâ apparebat, quia, in istâ regione, aer vaporibus sæpe spissior est. Possum tamen illam in omnibus locis et videre et monstrare, sed minùs distinctè quàm in Gallia. »

Quæ artificum superbia magis etiam XVII^{mo} sæculo crescit, atque etiam eò fit odiosior quò minus ingenua est. — Notus est ridiculus Guidi apparatus, cujus officina iisdem solemnibus ac regis aula submittitur; discipuli ejus apparitorum partes agunt; ipse magnifico vestitu indutus, aureâ Caroli Medicei catenâ pectori impositâ, pingit; et opertum caput præsente Pontifice servat, nec cardinali cuidam comitatur, qui eum inviserat, quòd « Cardinalis quivis æquos habet. » Bononiæ Michelangelum imitatur, ob vanum cum pecuniæ publicæ dispensatore jurgium : mittendus est legatus ut pacem componat. — Josepinus sese in equo sedentem, cum Christi et sancti Michaelis insignibus, producit : principes superbè et ex alto tractat. — Salvator Rosa, post absolutas S^{ti} Cosmi et S^{ti} Damiani picturas, Michelangeli sincerè miseretur, quem superavisse putat. — Vide præsertim Equitis Bernini *Diarium*. — « Dixit Berninus cardinalem Pallavicinium duo summa ingenia tempore suo distinguere, scilicet cardinalem Mazarinum, et alterum quod nominare nollet. Nuntius se suspicari ait de Equite Bernino agi. Ille molliter negavit » (XXXII, 176). — Si quis Berninum vel minimè reprehendit, « fit subito tristis » (XV, 313). — Memora ejus iracundiæ impetus ob vituperationes a Colbert et Perrault allatas. — Sæpius cæterùm accidit ut grandem Michelangeli mæstitiam stultè imitetur.

(1) « Triste è quel maestro del quale l'opera avanza il giudizio suo; e quello si drizza alla perfezione dell' arte, del quale l'opera è superata dal giudizio. » (Leonardo, *Tratt. della pitt.*, II, 54.)

« Quel pittore che non dubita, poco acquista. Quando l'opera supera il giudizio dell' operatore, esso operante poco acquista. E quando *il*

enim in Italiâ, jam proclivi ætate, graviter depressi sunt. Facilior artis et vitæ habitus corda imminuit, et voluntatis debilitate decus a superioribus partum inutile evadit. Non minore vi opus est si quis ex præteritæ ætatis exemplaribus fructum capere vult, quàm si nova exemplaria futuræ ætati tradere intendit. Nempè, ut dixit Michelangelus : « Ille alienis bonis ditescere nequit, qui proprio suo non dives est. »

Nec tamen intereà debilior fit intellectus; longè aliter. Rationis dotes XVI° sæculo continuò crescunt, et ad plenam maturitatem XVII° sæculo pervenient. Vix operæ pretium est memorare scientiam et philosophiam, renascentibus primùm litteris, adhùc inopes, brevi pòst, maximos viros, ut Baconem, Galilæum, Torricellium, Harveium, Keplerum, Gilbertum, Cartesium, Pascalem, Lockium, Newtonium et Leibnitium peperisse. — Verùm animus in solâ cogitatione non consistit, sed potiùs in voluntate, de se certâ, juris sui consciâ et ad obtinendum illud obstinatâ. Pectus est quod artificis animum fortitudinemque confirmat et evehit. Atqui, apud XVI[i] sæculi artifices, duo illa imminuuntur : obdormiscit fortitudo, et pectus tabescit.

Jamjam notavimus italicum ingenium, magis quàm cætera, ad voluptates esse pronum; quod quidem apud italicas gentes poeseos illecebris maximè deditas præsertim observare licet.

Blandi Ombrii ad artis somnia et libidines prompti, laborem deserunt ubi primùm necessitatibus vitæ non coguntur. Isti non torquentur, tanquam Florentini, speciei fugientis desiderio; exoptatam pulchritudinem juxtà

giudizio supera l'opera, essa opera mai finisce di migliorare, se l'avanzia non l'impedisce » (*Id.*, II, 59).

« Audiendæ sunt inimicorum animadversiones » (*Id.*, II, 62).

« Patienter et gratè audienda sunt consilia, etiam a mediocribus hominibus data; isti enim imperfectam sed jam pretiosam formarum notionem habent » (*Id.*, II, 72).

se et circà se, in Naturæ gratiâ et floridâ cordis pace captant. Intelligentiæ minùs studiosi, in excutiendas naturæ leges et doctas quæstiones non incumbunt, ut veritatem sentiant et possideant : malunt illâ simpliciter, simul et cogitationis usu frui.

Perusinus omnem animi vim ad vitæ commoda et negotia servat; in arte autem voluptario languori sese tradit : pulchra et firma colla, oculi somniis necnon et libidine perfusi, fuscæ et quasi auratæ manus, teneræ et odoratæ carnes quas argenteus vesper aut virens crepusculus liquidâ luce tingit, hæc illius cogitationem circumscribunt et animum explent. Sequentes artifices juvenili ardore superat quo nitet ista, ut ità dicam, cordis cupedia; sed illos prænuntiat, etiamque ad exemplum suum vocat, quum, vergentibus annis, ad vulgares priscarum viarum et rationum suarum iterationes recurrit.

Pinturiccius, Perusino copiosior nec non et levior, remissiùs etiam ad sensuum fluctum deditur; in mente ejus, species speciem pellit : nitidi colores, blandi gestus, grata negligentia facilis et oblectatæ vitæ cerebrum istud, tanquam avis, vividum et vacuum et venustum complent.

Spagna, tener et erubescens, exquisitam pudore suavitatem exhibet, sed adeò delicatam et fragilem ut minimâ re oblitteretur.

Raphael ipse prope est ut cedat mollibus blanditiis et pudico languori luxuriosi simul et innocentis cordis; et lepidi ejus ex Ombriâ amici, Timothæus Viti, Tiberius de Assisi, Sinibaldus Ibi, Gerinus de Pistoia (Giannicola Manni), et præsertim Eusebius de S. Giorgio, nobis sincerâ imagine monstrant qualis ipse permansisset, nisi secretam ingenii, semper ad altiora tendentis, vim expertus esset. — Omnes illi festivi Ombriani, umbræ quas ventus aufert, plus poeseos in se habent quàm

magni Florentini, uberiorem quoque ac vividiorem naturam. Verùm ad artis certamina minimè apti exstant; oportet illos in vallibus suis, sub decoris collibus, per aureas genistas et candidos narcissos quietè florere. Viriliorum ingeniorum propinquitate obruuntur, alienarum idearum et rerum extranearum contactu consternuntur : tùm in se ipsos refugiunt, aut sine gaudio cedunt. Affectus muliebres ferunt, gratiam juvenilem : his dies una datur; unâ die franguntur.

*
* *

Cæterùm hoc vitio non sola laborat Ombria; ipsa Florentinorum poesis, somniis parùm dedita, in quâ intellectus dominatur, cor autem minùs valet, vicibus suis languescit. Undique imminuitur ingenium.

Verbum unum continuò redit in Vasarii de Andreâ del Sarto, quem iste optimè nôrat, judicio, scilicet *timiditas* (1). Hæc quidem timiditas non ab intelligentiâ oritur, quæ in illo certa et tranquilla est. Quidquid enim tractat, nobilitate quâdam et dignitate ornat. « Delineatio ejus suâpte indole pura et venusta, » in dies fortior fit et amplior; neque etiam ullus ex Florentinis externum naturæ adspectum perfectiùs videt, nec formas solertiùs et robustiore penicillo effingit (2). Notationes ejus aliquandò vividæ sunt, ut Hispanorum; viventium imagines eleganti subtilitate plenæ; juvenilium animorum gratiam incertam et poeticam, defesso-

(1) « Si ille tantùm firmitatis ac strenuitatis animi quantùm acutæ diligentiæ et artis peritiæ habuisset... »

« Sed animi quædam timiditas et ingenua modestia in illo ardorem ac superbiam cohibuerunt... »

« Creditur illum antiquæ et recentioris sculpturæ in Româ copiâ exterritum fuisse, simul et tot Raphaelis discipulorum visu, quorum audacia et temeritas illi spes omnes præstandi eripiebant, perculsum, adeò ut Florentiam redire properaverit. » (Vasari, *passim*.)

(2) Confer illius mendicos cum Murilli tabulis.

rum et acerborum exquisitas munditias (1) mirabili modo sentit et exprimit. Nemo illi par est in animandis delicatioribus et quasi pellucidis carnibus; nemo ex Florentinis artem tam sapidam et amœnam exhibuit. Denique, primus omnium, simplicibus ruris prospectibus studuit, et codicillos suos meris rerum, in transitu deprehensarum, adumbrationibus implevit (2).

Quid igitur illi deest? Dotes omnes habet quæ magnum pictorem faciunt; illis caret quibus fit magnus vir. Animus intellectu minor est, benignus quidem, tener, ingenuus, amoris plenus, verùm nec grandis, nec altus. Deficiunt subiti ingenii intuitus; deficit ardor ille quo Castanius (Castagno), simul et gravis potentia quo Ghirlandaius res amplectitur. In amplexu veritatis, neque altis et delicatis Leonardi deliciis, neque juvenili Raphaelis caritate fruitur. Multò minùs etiam urgetur vehementibus voluptatibus, ut eas exprimat. Exactè videt et sine errore sentit (« senza errori »), et in oculorum acie innatum quemdam amorem, sincerum atque honestum gerit. Minimè ignorat quid sibi desit; nam in cogitando debilior est quàm in effingendo, neque

(1) Vide, exempli causâ, effigiem Clementis VII dictam in Neapolitano Museo.

(2) Hæc sunt ambulationum monumenta, diem suam aliquando ferentia (« 30 Sextili 1527. Ponte allenza ») : — agrestes prospectus, cum venustis et gracilibus lineis, — messores cum falciculis, — caprarum greges cum custodibus, — aut boves et pastores in pratis lenti, — vacca juxtà rivulum pascens, circà oppidi muros cujus ecclesia et alta turris domibus dominantur. — Aut etiam nemora recentiorum sensus redolentia, magni cum longis et exilibus stipilibus trunci (« Allongé » nostri more), — salices, — veteres muri quibus scandunt gramina. — villarum fumantia culmina, — equitum globus in sylvâ Certosæ cursitantium, — equus veteri trunco, in dumis, aligatus, — pons in ingressu urbis, — montes Florentiae dominantes, — oppida in latere turbatarum collium, ut in fluctibus naves. — Aliquandò placidæ domus, semiaperta limina, singularis supellex. — Demùm historiæ monumenta; milites sub mœnibus oppidi, fluitantibus vexillis, decurrentes; pugna equitum juxtà portas urbis. Etc.

Pleræque earum delineationes « sanguineo » modo effictae, in tabulis *Officiorum* (degli Uffizzi) servantur, neque omnium oculis exponuntur.

eorum est qui seipsos decipiant. Pertinaciter laborat et semper progreditur (1), altiùs in dies intellectum evehens, cum majore artis dignitate, quæ inopiam aut mediocritatem cordis compensat nec dissimulat. Amplissimum opus, quod sibi proposuit, complere nequit, mirabili instrumento præditus, et eo uti nesciens : vera demùm italicæ artis imago, quæ, ætate jam ingravescente, nec jam formas animare, nec vires a superioribus coactas adhibere valet.

Attamen laboris probitas diutiùs Florentiæ quàm cæteris in locis servatur, quia acerrimis stimulis assiduò refovetur. — Magister Perusini, quum illi suadere vellet ut Florentiam visitaret, dicebat : « Illìc tria sunt quibus artifex efficaciter concitatur : 1° censura sine privatorum respectu ; — 2° necessitas utendi industriâ, et in cursu continuò vivendi (ob difficultates quotidiani victûs) ; — 3° gloriæ fames inexhausta quam aer regionis parit. » « Qui Florentiæ versantur, non solùm retrò manere nolunt, sed eodem loco, quo cæteri, stare recusant, et adeò ardens fit omnium ambitio ut, nisi lenitate et sapientiâ suprà humanam naturam præditus sis, ad ultimum propriis magistris tuis maledices, et eorum beneficia ingrato animo solves » (Vasarius).

(1) 1509-1510. *Vita di S. Filippo*, nell' Annunziata.
1511. *Adorazione dei Magi.*
1514-1517. *S. Giovanni*, nel Scalzo.
1520-1526. *Ibid.*
1525. *Madonna del Sacco.*
In ipso Scalzo, evidentissimè apparet progressus :
1514. *Battesimo del Cristo.*
1515. *Predicazione di S. Giovanni.*
1515. *La Giustizia.*
1516. *La Carità.*
1516. *Battesimo di S. Giovanni.*
1517. *Cattura di S. Giovanni.*
1520. *La Fede e la Carità.*
1522. *Convito d'Erodiade.*
1523. *Decollazione di S. Giovanni.*
1523. *L'Angelo annunzia a Zaccaria.*



Aliter autem in aliis regionibus se res habet : scilicet artifices dotibus innatis ornatissimi, voluptariæ negligentiæ maximè se tradunt. Inter quos illustrissimum exemplum præbet, protinùs ab optimis, et, ut ità dicam, heroicis temporibus, Sodoma (1474-1549).

Ille, duarum ætatum consors et particeps, Raphaelis æmulus etsi natu major, Leonardo contrà minor et forsan discipulus, maximam tantorum ingeniorum partem ad ruinam conducit. Servat aliquid ex Leonardi acumine, aliquid etiam ex antiquitatis cultu quo Raphael eminuit ; sed ad hoc adjicit voluptariam quamdam segnitiam quæ illi propria est, et longè ab Ombrianâ negligentiâ differens, quam vidimus poeticâ meditatione perfusam, dum Sodomæ mollitia corpoream potiùs luxuriam redolet, non prorsùs elegantiæ expertem, verùm ad instar pulchri animalis motus nobiles ac venustos cum feroci corde jungentis. Ganeonis illius, raro ingenio præditi, vires voluptate dissolvuntur. Omnium cupiditatum curiosus (lautitiarum, epularum, stuprorum cujuslibet generis), inter æquales suos, in hoc renascentis antiquitatis tempore, non minùs atque ipsi antiqui, « paganus » videtur. Non aliter tibi fingas veteres ex Alexandri tempore pictores. Non forte nec libidine, sed consilio, Apellis nomen filio suo imponit (1511), et *Alexandri nuptias* concelebrat. Pectus ejus copiosâ et defessâ voluptate inundatur, simul et quâdam deliciarum ebrietate quam in opera religiosa transfert. Ubique eamdem exhibet segnem ac satiatam negligentiam, cum mollibus gestibus, cum incertis ac languidis oris ductibus, amoris et lecti etiam imaginem referentibus. — Cæterùm intelligentiâ non eget, et pigritiâ, non inopiâ ducitur ut inventa sua sæpiùs iteret. Mira ejus faci-

litas (1) abusum gignit; mox omnem diligentiam remittit et se in casum tradit. At saltem ille naturâ, non imitatione, « paganus » est, et faustis quibusdam diebus, more Leonardi ferè eminet, simplici formarum pulchritudine, et aliquoties etiam expressi sensûs gratiâ. Verùm in optimis ejus picturis (2), corporea venustas propè est ut cætera tollat; hæc sola, oblitterato animi decore, dominatur; jamque tempus prævideri potest quo ipsa concinnata fiet et absoleta. Quantùm enim distant Sodomæ prima (3) a posterioribus (4) opera! quàm blanda sinceritas in illis innocentibus « *scutellæ* » et « *palæ* » *miraculis*! Nec tamen illìc vividior nec altior exstat sensus, sed adest generosi cordis simplicitas, et nescio quæ subridens ac facilis mansuetudo. Si ab isto tempore Sodoma ganeonis mores jam sequitur, saltem ejus animus nec obtusus nec hebetatus est; et artifex decus suum ex illo voluptatis nitore ducit. Quem quidem diù servavit; sed omnia ad ultimum consumuntur. Ex voluptate imbecillum actionis momentum oritur : sensus malè temperatus extenuatur, animus solus remanet, inops, lassatus et omni spe destitutus. — Illud autem non tantùm ex ultimis Bazzi operibus, verùm ex ipsâ ejus vitâ patet, scilicet ex amarâ tristitiâ quâ, duo et sexaginta annos natus (1537) affligitur, ob partas a Dominico Beccafumo laudes, ut ait Vasarius, — sed potiùs ob inanem vitæ suæ sortem, jamjam voluptatibus et

(1) Quam ad æstimandam, vide picturas *Montis Oliveti*, udo tectorio illitas, quarum aliquae cursim, duobus aut tribus temporibus exactæ sunt.

Miles hispanus illum offendit : Sodomà ejus imaginem ex memoriâ tàm exactè effingit, ut nocens subitò inter sodales reperiatur et pœnam solvat.

(2) *S. Sebastianus*, 1525 (Uffizzi).

Christus ad Columnam, 1517 (Siena, M^te Oliveto).

In his ingenium Leonardi agnoscas, sed in corporeas species defixum.

(3) Monte Oliveto (1505-1506).

(4) Pisa (1541).

gratis erroribus orbatæ. Digreditur fessus et fastidiosus per Italiam, quærens quomodò cor mortuum reficiat, et supremum angorem avertat. Hospitia omnia tentat, Volterræ, Piombini, Pisæ (1541), Luccæ, nec ullâ parte passus suos neque animum sistere valet, opera « per passatempo » inchoans, ad quæ peragenda voluntas illi ac forsan vires deficiunt (vide *Phaetonis càsum*) ; et demùm in Senense valetudinarium confugit ad moriendum.

Magnus ille pictor, mirandus simul et miserandus, primum unà cum Perusino exemplum corruptæ artis præstat. Tamen, e sanâ ætate ortus, robustâ stirpe vivit, et partis jam viribus sustinetur. Tantum illi innatum est ingenium ut « non volendo far bene, non sa far male » (Lanzi) : hanc autem scientiam discere posteriores necesse non habebunt.

Animi igitur corruptela (1) et cordis imminutio præcipua sunt, XVI° sæculo, artis vitia.

*
* *

His adjungi debet causa quædam, periculosis blanditiis efficacissima, scilicet magni artificis, Corregii (1494-1534) exemplum et illecebræ. Cujus gratia tam fortis adhùc remanet ut nobis operum errores dissimulet, et corda invadit eâ prorsùs ratione quâ Michelangelus intellectus subigit. Ambo enim exquisitâ subtili-

(1) Quid dicam de ætate, in quâ fieri potest Bandinelli facinus, miraculum artis impotenti invidiâ frangentis ? (*Pisani belli delineationem*, a Michelangelo. V. Vasarium.)

Quid de arte, in quâ Lucae Cambiasi prestigiae duobus simul manibus pingentis, pro titulis gloriæ habentur ? (1527-1585.)

Sodomæ penicillum, ut ait ipse, « ballava al suono de danari. » — Santi di Tito dicit illum « penicilla varii pretii » habere.

Benvenuti Cellini commentarii eo maximè utiles sunt quod ab homine scripti sunt qui vitia omnia ætatis suæ agnoscit et declarat, imò illis omnibus afficitur.

Vide etiam, de animorum imminutione, epistolas Sebastiani del Piombo.

tate animos imbuunt. Difficile primùm est intelligere quonam modo vir ille, qui Romam nunquam intravit (1), et rarissimè in aulis principum versatus est, tantas in se munditias, tam compositum leporem et blandam venustatem invenerit. Sed cogitandum est egregiam illam dignitatem picturæ italicæ esse innatam. Primo adspectu, longè sanè differt Corregius a severâ ratione Mantiniæ, a quo putant illum adhùc adolescentem fortasse institutum fuisse. Tamen, etiam in rudi Patavini arte, nescio quid delicatissimi et subtilissimi spirat. Diligens illa cura, quæ in Mantiniæ ingenio paulò aridior et acutior videtur, mollis fit et fluctuans in muliebri Corregii manu. Idem tamen animi vitium duobus contrariis affectibus proditur : alter ad nimium robur intenditur, alter ad nimiam gratiam. Ex duobus erroribus posterior indulgentiam nostram sæpiùs obtinet, prior autem illam meliùs meretur. Corregii affectatio a corde tenero, et sensu exquisito, sed effeminato procedit; sensûs enim mollities adeò extenuata, affectuum debilitatem parit. In illo nobile genus apparet, necnon et exhaustus sanguis. In illius operibus omnia improvisa et putata simul videntur : videlicet membra audacter contracta, compositi gestus, ora solertiorem ingenuitatem redolentia, concinnæ vultûs argutiæ, candidior cultus. Cæterùm sincera est illius subtilitas, ideòque suavissima inventa gignit (2). Insuper Corregius minùs intellectu et corde eminet, quàm secretâ illâ vi, quæ vocatur poesis, et quæ sæpè nullam cognationem cum istis habet. Quidquid in diversis ejus operi-

(1) « Si Romam ingressus esset, multas illic curas concitavisset. » (Vasarius.)

(2) Vide Magdalenae genas, divini bambini cruri amatoriè affixas; atque etiam puras et tremulas puerorum animas, amplis oculis expressas, quas imitationibus suis A. Caraccius servavit (Museo di Parma); aut voluptuosarum puellarum quæ Ledam comitantur virgineam, nec omninò innocentem gratiam, et jocos (Mus. v. Berlin).

bus putidum est, aut mediocre, aut admodùm turpe (et in celeberrimis tabulis S[ti] *Hieronymi* et *Noctis*), lucis motibus mutatur et quasi transfiguratur. Verùm poesis illa lubrica est et effugiens, nec transmitti posterioribus poterit, dùm contrà cæteræ Corregii dotes exemplum offerent eò periculosius quò gratius sit, et sequentis ætatis indoli convenientius.

« O Dio! che nè Tibaldo (1), nè Nicolino (2), nè sto per dire l'istesso Raffaello non vi hanno che fare (3). »

Candidam hanc et remissam Annibalis Caraccii vocem, quàm multi XVI[i] sæculi pictores antè illum edidisse credendum est! quod satis probat eorum vita et historia. Plerique enim cum Raphaele primùm et Michelangelo versantur; brevi Corregium reperiunt, et reliqua pictura statim evanescit : subità luce toti invaduntur. — Dicemus igitur tam forte esse Corregii exemplum ut, quasi contagio, rationem illius et animum excipiat quisquis talium dotium anteà expers fuerit? Minimè : Corregii vis ex eo oritur quod mirabili sermone sensus ætatis suæ reconditos, nec admodùm viriles, exprimit. Summi Romani artifices sanis et sinceris operibus debilitates illas dissimulabant et impedimentum cordis imminutioni opponebant. Ecce autem Corregius surgit, simulque omnes istæ mentes, roboris fastidiosæ et subtilium sensuum tantùm curiosæ, tanquàm in libertatem sese vindicant : hoc demùm est, quod jam præsentiebant, secretum! hæc obscuriorum desideriorum interpretatio! « O Magister, » clamat Algarottius, « te solum amo! »

Parmesanus (1504-1540) Romam undeviginti annos

(1) Pellegrino Tibaldi, Bononiensis (1527-1598).

(2) Niccolo dell' Abate, Mutinensis.

(3) Cf. epistolam præsidentis de Brosses, post spectatam Corregii *Noctem* : « Per Deos immortales, quantum opus! Parce, divine Raphael, si nullum ex operibus tuis tantùm me commovit! »

natus venit, et Michelangeli Raphaelisque operibus ardenter studet; aliquando etiam similitudinem inchoatam cum Raphaele monstrat; sed ex innato affectationis studio se expedire non valet, adversùs quod frustrà luctatur Michelangeli auctoritas. « In illius erroribus, Corregii exemplum, — in virtutibus, Michelangeli notam deprehendas. » Corregius autem intimæ ejus naturæ inest; nemo unquam Parmesani tabulam unam vidit, quin cognationem istam denuntiaret. Sed præter id quod in illo genere non jam primus incedit, nec decet ergà discipulos eâdem indulgentiâ quâ ergà magistrum uti (1), artis ruina cum illo præcipitat. Apud Corregium venusta operis subtilitas robustâ personarum sanitate recreatur; quæ quidem tanquàm agresti spiritu et rustici sanguinis nitore animantur. Apud Parmesanum nihil aliud jam reperias quàm insulsas et putidas munditias. Illius Virginum longæ et molles et nimis delicatæ species multò differunt a quadratis et « abundâ carne vestitis » Corregii mulieribus. Alioquin impiger prorsùs Corregius assiduis studiis se dedit; Parmesanus contrà ab observatione naturæ brevi discedit; res ex memoriâ aut artificio delineat, ludens cum formis, id est eas, ut placet, molliens, rumpens et subigens.

Barocius (1528-1612) Romam ad studendum, viginti annos natus, petit; alitur ex Michelangeli operibus; (fertur etiam Michelangelus delineationem vidisse quam ex illius Mose fecerat, et illi gratulatum esse). Posteà Urbinum redit, chartas quasdam Corregii, vitro illitas

(1) « Semper dico, meo quidem judicio, nihil Parmesano cum Corregio commune esse, quod magni illius pictoris tabulæ ex cogitatione suâ et intelligentiâ ortæ sunt. Patet illum omnia capite suo duxisse et per se invenisse. Ex se uno pendet, solus proprium habet ingenium, dùm cæteri rei cuidam extraneæ artem fulciunt, hic exemplari, ille statuis, alius scalpturis. Denique effinguntur cæterorum opera qualia esse possunt, Corregii autem opera ut reipsa sunt. Rem prorsùs explanare nequeo, sed sententiam meam planè intelligo. » (Epist. Annibalis Caraccii. Malvasia, *Felsina pittrice*, t. II)

(« pastels ») videt, et imo corde movetur. Ipse, suâ vice, magistri exemplum proprio ardore ità conduplicat ut nihil jam in tabulis adsit nisi scenici gestus, subrisus in circulis consueti, compositi habitus et mitiores animi. Naturæ gratia omninò vanescit. Talis ars modò fictitium urbanitatis florem exprimit; illudque maximè peculiare est et ad rei significationem notandum, quòd omnes XVIII[i] sæculi intelligentes mendaci et declamatoriæ Barocii religioni sensum veri et teneris doloris tribuunt; — ex quo facilè judicabis quæ in istâ ætate fuerit fidei et amoris idea.

Quid de Primatitio (1) dicam (1504-1570), — qui tanquàm uberior et nitidior e corrupto solo exortus flos videtur? Sanè quidem ille ut summus elegantiarum magister adhùc eminet, neque etiam vi nec libertate caret; sed vacuum cor gerit et depravatum intellectum. Non jam superest ardor proborum veterum, ad longinquum exemplar enitentium, neque certa fides magnorum ingeniorum, post tot certamina, in partâ perfectione conquiescentium : dubium solum remanet, securum et incuriosum, unica senescentium et effetarum ætatum fides. Non jam de affectûs sinceritate, neque etiam de veritate agitur, sed de ludis et ludibriis quibus capitur oculus et decipitur mens. Artifex opere suo, tanquam

(1) Etsi Julii Romani discipulus, Primatitius sine dubio Corregium novit, Nicolae dell' Abate operâ, amici ejus et operum consortis, forsan etiam in itinere anni 1541, per Italiam.

Nicolas dell' Abate (1512-1571), Mutinæ natus, illic profectò cum Corregio versatus est, qui propè demorabatur, et interdùm Mutinam veniebat. Illo etiam tanquam magistro usus est, si Tirabosco credamus. Plura enim Nicolæ opera Corregii rationem referunt : gestûs cura, intentio subrisûs, ipsæ personæ et compositio. *Martyrium SS. Petri et Pauli* (1547, Mus. Dresde), *martyrium S[tæ] Placidæ* a Corregio depictam reddunt. Illud autem exemplum in illo temperatum est ab auctoritate præsentium Raphaelis discipulorum (Pellegrini de Modenâ) et ipsâ pictoris indole, placidâ, clarâ et jucundâ. Quæ quidem auctoritas majoris momenti esse debuit in homine vividi et copiosi ingenii, qualis fuit Primatitius.

dolo feliciter absoluto, delectatur, callidè simul et gloriosè subridens.

Quis de tali arte non desperet? Ipse auctor nihil boni in futurum providet; superioribus præstare se intelligit; imò ad summum culmen pervenisse putat; sed ante oculos nihil adspicit nisi vacuum et inane (1); quid ergò in posteriùs exspectet? Quidquid in se, ut ità dicam, magnitudinis servat, hoc non suum habet, sed a gente suâ excepit, et ad ventos projiciet : animi enim impotentiâ rapitur, neque ægra ejus cogitatio neć senescens pectus resistere ullo modo queunt.

Ne autem delicato et tenero Corregio crimini vertamus quòd Primatitii superbi et fucati, aut etiam Barocii et Parmesani exstiterint! Ille tantùm, ut videtur, sinceros affectus subtili cordis ingenuitate expressit. Sed, utcunque innoxia est et extrà voluntatem, subtilitas semper subtilitatem animi parit, quæ ingenium extenuat et ad ultimum obruit. Non decet mollitam et defessam ætatem arte ad exquisitas voluptates incitari, quæ illam a simplicibus sensibus et a naturâ avertunt.

(1) Jam Michelangelus ipse dixit « che era venuto l'ora della morte nell' arte, perciocchè non si poteva veder meglio. » Sed illud verbum credimus per jocum acerbum dictum esse, ut superbam et vacuam perfectionem æqualium rideret.

CAPUT IV.

DE ITALICA ARTE MICHELANGELI EXEMPLO PERDITA.

Insuper, ut artium ruina perficiatur, fortuita causa, et ex solo historiæ casu pendens, additur cæteris quæ, ut vidimus, communes et tanquam philosophicæ sunt. Necessario enim humanitatis cursu et certâ lege fit ut, dum augetur intellectus, imminuantur cordis vires, emolliatur voluntas et debilitetur animus : quâ autem ratione provideri aut produci possit Michelangeli cujusdam ortus?

In mediam italici ingenii corruptionem incidit Michelangelus, et propriâ vi illud dementat et præcipitat. Potentia ejus longè differt a Corregii aut Raphaelis auctoritate : isti quamvis ætati suæ præstent, æqualium cogitationis majore gratiâ et magnitudine referunt; Michelangelus extrà tempus suum omninò exstat.

Omittamus enim illum intellectûs cultum qui illi cum tot aliis communis fuit, et solam viri mentem intueamur, animi robur, indolis impetum, plus quàm mortales affectus; — profectò non dicemus illum eâdem naturâ ac cæteros homines frui, nec partes tenere majoris cujusdam fratris aut amici cui natura nostra meliùs ac nobismet ipsis nota sit, qualis fuit dilectissimus ille Raphael, aut blandus cordis adulator Corregius. Stat ille seorsùm, solus et ingens, — magis fortasse seclusus et enormis tempore suo quàm nostro fuisset. Ut

mons altus subjectos incolas quodammodo cogit ut invictà spe ad culmen enitantur, ità æquales suos ad se vocat, eheu! minimè aptos ad conscendenda hæc sublimia artis fastigia! Omnes isti delicatiores animi, debiles simul et exhausti, herois animâ inebriantur, et minutis operibus ad immanes fines intendunt. Quid sit modus, quid moderatio dediscunt. Quum oculos suos in parvulo mentis suæ orbe circumscribere deberent, omnia amplecti conantur et fortium imperii participes fieri. Fluctus externarum imaginum, scenicarum specierum et turgidorum gestuum convolutatur in eorum cerebro, quod neque intellectûs neque sensûs vis cohibet. Ars demùm vertigine quâdam in dementiæ turbinem rapitur, adeò omnes istas umbras verrit Michelangeli spiritus!

Memora enim Michelangelum ferè quinquaginta annos aureæ italicarum artium ætati superstitisse. Anno 1564 moritur, et, ut nostris temporibus Victori Hugo contigit, admiratio illius operum eò magis in dies crescit quò minùs digna fiunt ut sine disquisitione laudentur. Vulgò « Deus » habetur (Benvenuto), et Academia delineationis, Florentiæ anno 1561 ab amico ejus Vasario instituta, nihil aliud est quàm discipulorum et fautorum collegium, a quibus ejus ratio et disciplina propagatur (1).

Inter omnes Italiæ partes, Florentia in quâ demoratur, cæcæ admirationi deditur. Quandoquidem Roma Michelangeli picturas servat, Florentini statuas illius maximè imitantur, quærentes imprimis, (ut ait Lanzius),

(1) Ipsi Raphaelis discipuli hujus admirationis participes sunt. Perinus del Vaga delineationes ad arcam Cosmi I fingere recusat, quia opus priùs a Michelangelo quæsitum fuisse novit. Timet enim ne illum offendat, « quem omnes pictores tanquàm magistrum, ducem et delineationis deum reverentur. » (Claudius Tolomei, ad Apoll. Philaretum. V. *Jay*, p. 90.)

ut magnificè « ossa lacertosque » monstrent (1). Ea cæterùm fuit magistri doctrina, scilicet sculpturam esse optimam pictoris scholam et veram picturæ speciem. Hæc in illâ, tanquam res minor in majore continetur. « Dico ego sculpturam picturæ facem esse, et alteram tantùm ab alterâ distare quantùm Solem a Lunâ (2). » Ad quod ridiculus Benvenutus, sententiam Michelangeli explanare putans, addit « sculpturam septies majorem esse picturâ (3). »

Unde fit ut pictor statuarum studio, id est Michelangeli operum, instituatur, et præcipuæ negligantur picturæ partes, color tanquam secundarius habeatur (4),

(1) I, 167.

(2) « Io dico che la pittura mi par più tenuta buona, quanto più va verso il rilievo, ed il rilievo più tenuto cattivo, quanto più va verso la pittura; e però a me soleva parere, che la scultura fosse la lanterna della pittura, e che dall' una all' altra fosse quella differenza, che è dal sole alla luna. » (Michelang. ad Bened. Varchi, *Raccolta di lettere sulla pittura*, 1754, Rome, I, p. 7.)

Vasarius quidem, in epistolâ 12 februarii 1547 ad Varchium, narrat « se Michelangelum de eâdem quæstione interrogavisse, qui ita subridens respondit : « Sculpturæ et picturæ idem finis est ad quem difficile est ex unâ et alterâ parte pervenire. » Nihil amplius de re scire potui. » (*Raccolta*, I, 37.)

Quæ autem responsio nihil aliud demonstrat nisi quæstionum odium. « Satis disputationum, scribit Michelangelus ; in his majus tempus teritur quàm ad fingendas figuras sufficiat. » — Sed præstare sculpturam firmiter credit : « Qui scripsit picturam sculpturâ nobiliorem esse, si cætera eodem modo intellexit, meliùs illo serva mea fecisset. »

Aculeus ille in Leonardum injici videtur. (V. *Trattato della pittura*, I, passim.)

(3) « Dico che l'arte della scultura infra tutte l'arti, in cui interviene disegno, è maggiore sette volte, perchè una statua di scultura deve avere otto vedute. » (Benvenutus ad Varchium, 28 januar. 1546, *Raccolta*, etc., I, 13.)

Omnes istæ epistolæ causam habent ex quæstione quâdam Varchii de comparatione duarum artium.

(4) Tintorettus ipse, auctoritati Michelangeli parens, ait : « Pulcherrimi colores sunt album et nigrum, quia figuris lucem præbent, ex quâ exstare atque eminere videantur. » Idem, vergentibus annis, scholæ Venetianæ præcepta abnuens, præstantiam delineationi confert. « Delineandum, etiam et semper delineandum. »

et sola per se pro fine perquiratur rimata, jactata ultrà modum, et frustrà distorta delineatio.

Hoc modo maximus omnium temporum pictor ad Benvenuti mentem Michelangelus judicatur, ob id tantùm quod adumbrationes suas secundùm lutea simulacra, accuratissimè tractata, duceret (1); ità ut proximus post illum perfectionis accederet Bronzinus (Angiolo Bronzino, 1502-1572), odiosus iste delineandi magister, gypsatorum corporum acervis et turgidorum musculorum copiâ insignis, cujus celeberrima tabula, « *Christus ad limbos* » (1552) in « accademia di nudo, » ut ait Lanzius, vel in palæstrâ collocanda videtur.

Tale exemplar minùs periculosum foret, si quidem illud imitatores rectè intelligerent; sed Michelangeli cogitata illius tempus prorsùs prætereunt. Quonam autem modo fieri aliter possit, quùm totum viri opus in luctatione et tanquam rebellione adversùs ætatem suam consistat? quis fastidiosum risum teneat, quum Michelangeli æqualis formidabilem illam *Noctem* vocat « bellum obdormientem angelum? » O supremam contumeliam, dignam quæ Leonardi subrisum potiùs quàm colossi minas concitet! Ex illis furiosis aut acerbis speciebus, contemptum, tædium, satietatem omnium referentibus, quæ *Moses*, *Dies*, *Vis captivum obruens*, *Brutus*, *Aurora*, *Servi* appellantur, circumjacentes homines formam solam distinguunt et admirantur; dic-

(1) « Oggi si vede Michelagnolo esser il maggior pittore, che mai ei sia stato a notizia, nè infra gli antichi nè infra i moderni, *solo perchè* tutto quello, che fa di pittura, lo cava dagli studiatissimi modelli fatti di scultura; — ne so conoscere chi più s'appressi oggi a tale verità d'arte, che il virtuoso Bronzino. » (Benven. ad Varchium, 28 januar. 1546.)

Pariter Daniel de Volterrà (1509-1566) sculptor potiùs quàm pictor videtur. Ad ultimum soli sculpturæ se dedit. Statuas Mediceorum gypso imitatur, aliasque ipse fingit. — Vide ejus tabulam *David et Goliath* (Louvre), duobus lateribus depictam, secundùm duos statuæ, ab illo effictæ, adspectus.

Rossus (Rosso) sculptor est, Salviatius quoque, idemque strenuus.

tioni plaudunt, neque in ipsos imprecationem injici vident; imò illam iterant, nescii quid significet!

Opusne est Vasarii (1512-1574), Salviatii (1510-1563), et Rossi (1456?-1541?) errores memorare (1)? — Duæ Frederici Zuccheri delineationes (Louvre) nobis artifices quosdam monstrant, in Laurentianâ capellâ sedentes, et pertinaci studio statuas Michelangeli imitantes. Quàm multi XVI[i] sæculi pictores totum opus suum talibus notationibus ædificavere, neque unquàm suspicati sunt illas formas giganteo Michelangeli ingenio tantùm valere, et ridendum prorsùs fore qui eas ad eruditos frigidi et affectati animi ludos adhiberet. Immania illa exemplaria, quæ ipsi non intelligunt, naturam eis occludunt. — Postquam per duos annos « *Supremum Judicium* » imitatus erat, Berninus ex naturâ delineare cœpit. Cui Scivolius, inspecto opere, ait : « Sei un furbo; non fai quel che vedi; questo è di Michel Angelo (2)! » Quàm multi, in hoc sæculo, non longiùs processerunt!

Baptista Francus, « il Semolei, » Venetianus (1498-1561) inter omnes pertinaciâ in Michelangeli imitatione distinguitur. Dicit Vasarius non esse unam magistri adumbrationem, neque inchoatam modò imaginem quam iste religiosè non delineaverit. Sixtinam totam ex memoriâ cognoscebat. Anno 1536, Florentiæ paulisper de-

(1) Florentini saltem diutiùs quàm cæteri laboris probitatem servant. Si Vasario credas, quum Johannes de Udine Florentiam venit, ratio ejus audax, libera et varia, parvum momentum in illâ urbe obtinuit, in quâ assueverant omnes ad omnia ex naturâ pingenda, nec speciosis istius modi libidinibus plaudere poterant. Sed ætas illa est Raphaelis morte antiquior. Certum est Florentiam usque ad finem XVI[i] sæculi contendisse « veritati » se unicè addici; sed eodem verbo res alia significabatur, scilicet magistrorum exemplaria, et imprimis Michelangeli inventa. Vasarius labore tantùm ad finem suam pervenit; naturâ parùm copiosè præditus, difficultates suas et impedimenta ingenuè confitetur. Salviatius admodùm impiger est et strenuus. Studia longissima persecutus est Bronzinus, sed labor iste minimè ingeniosus est, et potiùs imitatorum quàm auctorum.

(2) Diar. Bernini, *Gazette des Beaux-Arts*, XXIX, 453.

moratus, iterùm omnes S[ti] Laurentii statuas delineat; quinque post annis (1541), Romam venit ut « *Supremum Judicium*, » nunc primùm oculis palàm expositum, videat, « e con infinita maraviglia lo disegnò tutto. » — Cæterùm per se nunquàm cogitat; diù propriâ arte pingere supersedet; quum illud demùm aggreditur, in « *Pugnâ* » suâ « *apud Montemurlo*, » fragmenta delineationum *Pisani prœlii* aut *Ganymedis raptûs* exscribit.

Ex hoc sæculo liberrimus artifex, Benvenutus, in *Commentariis* suis ait : « Florentiæ continuò conatus sum ut pulcherrimâ Michelangeli ratione ingenium meum imbuerem, neque unquam posteà ab eâ discedi (1). »

Michelangeli furor arida et rationabilia XVI[i] sæculi ingenia primo intellectûs fructu spoliat, scilicet judicio, quod quidem rarissimum in Italiâ omni tempore fuit. Una tantùm manet disciplina, ultrà naturæ fines egredi. Fluctus dementiæ exæstuat ex istis miserandis animis, inani verborum sonitu et turgido sermone redundantibus, qui nihil unquàm per se sentierunt. Callidissimi memoriâ et notationibus utuntur; alii ad casum se tradunt, ingenio suo confisi. Ridiculam Michelangeli imaginem et quasi gryllum præbent, grandem illam laborandi rationem, tanquam simiæ leonem, imitantes. Sed tantum abest ut isti concepta ejus penetrent, ut contrà ipsos ejus conatus non percipiant. Nihil enim aliud, ut Varchius, in illo vident quàm « Jovis cerebrum, » id est luxuriantem fingendi vim; neque intelligunt ex quanto labore oriantur illa artis miracula (2), neque ad

(1) Vide etiam Hieronymum Mutianum de Bresciâ (1528-1590).

Ipsi Mediolanenses turbatarum compositionum studio afficiuntur. Lomatius Michelangelum instituit primum picturæ rectorem.

In sculpturâ præsertim grassatur immanium figurarum studium et falsa Michelangeli imitatio. (Sansovinus, Ammanatius, Bandinellius, Johannes Bononia); ideoque ista subito et quasi vertigine in pejus ruit.

(2) « Il avait brûlé une grande quantité d'études et de croquis, pour

quantam desperationem superfusis viribus vir ducatur, nec quanto fastidio capiatur ad finem operis quod imperfectum tandem relinquit (1). Tali religione isti non prohibentur : quod inceperunt, peragere semper valent.

Pomeranci, Semineus, Calvius, spatium duodenum pedum quâque die picturâ induunt. Cambiasus (1527-1585), septemdecim annos natus, *vitam Niobes* sine studiis et sine adumbrationibus depingit; et insuper opera tam multa conficit quàm duodecim pictores unà coeuntes (2). Conjux ejus ignem accendit fascibus delineationum quas ipse continuò projicit. Magni hujus temporis artifices, picturæ admodùm intelligentes, comparatis cum « *Supremo Judicio* » quibusdam Cambiasi inventis, declarant Michelangeli figuras in hâc comparatione multum roboris sui et prædicatæ violentiæ amittere (3).

Santius di Tito (1538-1603) effigiem ex vivo pingendo mediam horam non absolvit (v. *Christinæ Lotharingensis effigiem*). Officinæ speciem in domo suâ instituit, et incredibilem imaginum numerum venditat. — Hujus discipulus Tempestius (1555-1630) animum suum immensis picturis, quas udo tectorio Romæ illinit, occupare non valet, et se mille et quingentas scalpturas ducendo relaxat (4).

ne pas laisser de traces de la peine que lui avaient donnée ses ouvrages qu'il retournait de mille manières, comme un homme qui fait des vers. » (*Journal de Delacroix*, II, 429.)

(1) « Quand les historiens ne nous diraient pas qu'il se dégoûtait presque toujours en finissant, par l'impossibilité de rendre ses sublimes idées, on voit clairement, à des parties laissées à l'état d'ébauche, à des pieds enfoncés dans le socle et où la matière manque, que le vice de l'ouvrage vient plutôt de la manière de concevoir et d'exécuter que de l'exigence extraordinaire d'un génie fait pour atteindre plus haut, et qui s'arrête sans se contenter. » (*Id.*, II, 188.)

(2) Armenini, *Veri precetti della pittura*.

(3) Lomatius, *Idea della pittura*, 83.

(4) Unâ mense, Vasarius, Tribolus et Andreas de Cosimo, palatium

Denique italicum ingenium, quasi febre quâdam (1), impotentium motuum et conturbatarum figurarum cupidine invaditur. Ipsi Venetiani non effugiunt, sed robustiori indole præditi, non obruuntur. Febris illa vires eorum extollit, et voluptarium torporem excutit : ex illâ Giorgionis somnia et decoræ Titiani personæ ardorem novum ducent, per quem fiet inopinatus picturæ apud Veronensem et Tintorettum impetus. Quibus addendæ sunt aliæ dotes, genti illi innatæ, scilicet corporea quædam poesis, et temulentus colorum amor quibus adhùc præcipitat Venetum ingenium.

Tintorettus (1512-1594) Michelangeli operibus diù studuit (2) ; illius statuarum exempla magno pretio adduci jubet ; hæc lampade illustrat, et ex formarum eminentiâ delineat (3). Continuò laborat, quietem suam ad alia negotia adhibens, scilicet ad fingenda cerea sigilla, ad quærendos corporum habitus et linearum tractus. In medio artis furore, (ut veterum verbo utar), vivit, dæmone quodam agitatus ; cruciatur divitiis suis, imaginibus quæ ingenium invadunt, coloribus quibus uruntur oculi. Nullum murum adspicit quin vividis et

ædificant et decorant. Unâ die, Perinus del Vaga *Transitum Rubri maris* pingit. Etc.

(1) Dementiam redolet exustum Benvenuti cerebrum. — Memora speciem ab illo somniante visam, quum in castello S. Angelo, Pauli III jussu, inclusus est. « Sol sine radiis, ait, undæ liquefacti auri similis erat. Dum illum spectabam, ecce astri centrum turgescit, et ex eo oritur Christus, Cruci affixus, eodem lumine formatus. Spirabat ille gratiam et mansuetudinem tantam ut intellectus humanus ne millesimam quidem partem ejus concipere possit. Posthàc, iterùm turgescit astri centrum, et formam cepit admirabilis Madonnæ sedentis et divinum filium subridentem in brachio tenentis. Illa locum ceperat inter duos Angelos incredibilis pulchritudinis... »

(2) Si Yriarte credas, non absurdum esset in ipso Veronensi vestigia quædam Michelangelicæ auctoritatis quærere (*Jupiter in Scelera fulmen immittens*, Musée du Louvre).

(3) V. Ridolfi, *Delle maraviglie dell' arte in Venetia*, 1648.

V. Tintoretti figuras nigro lapide et diluto atramento delineatas, easdemque albo tinctu illustratas.

fictitiis actionibus induat. Omnibus et ubique officium laboris sui præbet; Venetiæ structores precatur ut illum in tabulationibus suis excipiant et sinant novas domus picturis illinere. Nihil aliud requirit quàm felicitatem pingendi, equitum pugnam in vastum et apertum spatium immittendi, quam Magni Canalis humor brevi eroserit. — Sine dubio, magnum ingenium in hoc infectoris filio eminet, et febrili ejus manu Venetia interdùm artis culmen attigit. Sed amentes isti impetus nec durare valent, nec alimentum firmum artibus præbere, fulminis ictibus similis, quibus pacatur tempestas. Ars in tali febris motu integra manere non potest : ex eo evadendum est, aut pereundum. In ipso Tintoretto, mediocre et pessimum non minùs miranda sunt quàm optimum. In sequentibus, omnia miscebuntur : nihil supererit quod mireris.

Veneti quidem, ut diximus, semper naturæ amore salvantur. Omnia Tintoretti inventa ardenti veritate redundant. Sed quis aliis artificibus, ingenio non ità vivido præditis et libidinem suam ex voluntate ducentibus, tanquàm Rosso, ignoscat? Hæc est mera mentis temulentia. Nec tamen Rossus iste vir admodùm mediocris fuit, quippe qui summam contrà æqualium suorum admirationem adeptus sit. Philosophus, litteratus, eloquens, musicus, architectus, sculptor et pictor, simulque voluptatibus deditus et Benvenuti amicus, multiplicem industriam monstrat, quæ ut in primâ renascentium artium ætate, universa videtur. Sed vis illa febrilis et aliquid morbida ex intellectu exacerbato oritur, cujus opus, nunquàm auxiliante animo, aridum et sine poesi hæret. Tumultuosè prætereunt specierum vacuarum et frigidarum series, imagines fabricatæ aut memoratæ, nunquàm sentitæ, quæ corporeum tantum vestigium in artificis cerebro et in spectantium oculis relinquunt. Nihil jam superest nisi lineæ et

linearum complexiones; personæ ipsæ fiunt instrumenta ad tabulæ ornationem, et operis apparatus exstat violentus, exasperatus, extra modum et naturam projectus.

Primatitius ingenuitatem contemnit; Rossus leporem et suavitatem : ecce artem italicam a Michelangelo formatam! Animis intellectûs cultu exustis, et simul exquisitæ voluptatis in Corregio spiritu emollitis, ille vertiginem quamdam incutit. Acerrimus splendidissimæ lucis ictus delicatiores istos oculos et fragilia cerebra in fictitium delirium abripit, in quo debiles eorum dotes ad ultimum pereunt.

Insignis admodùm et significans videtur quatuor virorum delectus qui, jubente Florentinâ Academiâ, Michelangeli funera primo ordine secuti sunt : Vasarius, Bronzinus, Ammanatius, Benvenutus Cellinius. Quorum tres priores pessimum ad artium ruinam momentum habuêre, et solus liber, Cellinius, in Carminibus suis ipse ità canit :

« Unum tantùm ex coronâ tuâ folium ostende mihi, o divine Michelangele, qui solus dives, solus immortalis es! Unum sufficiet, neque aliud curabo, nam illud solum mihi bonum et pulchrum erit, quippe a te veniet! »

CAPUT V.

DE ARTIUM RENOVATIONE, A CARACCIIS INCEPTA.

Provecto jam XVI° sæculo, italicarum artium ruinæ obstitit exiguus artificum circulus, qui brevi tempore præcipuas artis vires amplecti valuit, ità ut renasci quodammodo visa sit pictura. Quid de hoc incepto censendum sit, et quâ ratione in vanam speciem evaserit, longiùs explanabimus.

Bononiensibus id decori est quod antè omnes contrà nimios intelligentium errores et artificum mendacia rebellârunt : quæ partes sincero et honesto gentis ingenio optimè conveniebant. Sed infeliciter, quemadmodùm firmiore judicio, sapientiore et modestiore præditi sunt quàm cæteri Italiæ incolæ, sic poetico afflatu et animi impetu maximè carent. Omni tempore gravitatem illam cordis exhibuêre quâ primi liberæ cogitationis fautores simul et ultimi byzantinæ fidei defensores (1) exstiterunt. Temperatâ voluntate, firmo et placido sensu, potiùs quàm animo ad poesim prono, fiunt optimi Bononiæ artifices. Qui ex illis divinum instinctum vehementissimè expertus est, Francia, in vitâ suâ nullâ impotente vi dirigitur. Aurificis munus gerens, deli-

(1) Vide XV° sæculo, Lippium Dalmasium, Vitalis discipulum, et asceticam ejus disciplinam.

neationem primùm aggreditur; dein nomismata scalpere cœpit, et « quum res feliciter succederet, statuit probare nùm pictura majores difficultates quàm delineatio offerret » ; post aliquod tempus studio deditum, « quum eumdem successum obtinuisset, statuit tentare nùm pariter in picturâ udo tectorio illitâ procederet... etc. » ; et « quùm in omnibus inceptis non minùs prosperè res eveniret, tantam facilitatem adeptus est ut plurima et pulcherrima opera absolverit (1). » — Hæc est Bononiensis indolis imago, prudentis ac religiosæ, quæ nihil impetu agit et passus suos omnes computat. Media est illi vìa inter Raphaelem et Bellinium, scilicet inter Romam et Venetiam ; undè oritur concors et suavis temperatio in quâ sola deest singularis ingenii flamma.

Non mirandum est quòd nemo violentis Michelangelicorum discipulorum erroribus tam acriter læsus fuerit quàm Ludovicus Caraccius (1555-1619), Bononiensis scholæ dux ; nec quòd ab illis ipse graviter fuerit contemptus, (a magistro suo Prospero Fontanâ, Vasarii adjutore, et posteà à Tintoretto) : hujus enim tarda, timida, incerta indoles est. Rebellat ejus animi probitas ; sed sui se non satis securum sentit ut sententiam suam planè aperiat ; illi pluribus annis et itineribus opus est, (octo annos per totam Italiam, exceptâ Româ, peregrinatur), ut judicium suum, aut saltem judicii principia, informet. Tandem redit, et in illud miraculum tot conatus desinunt, scilicet tabulam in quâ apparet figura quædam secundùm Raphaelis rationem efficta, alia Titiani, alia Corregii. — Pessima hæc scholastici pensa memorare non operæ pretium esset, nisi Ludovicus in auxilium patrueles suos, Augustinum et Annibalem, alterum poetam, alterum pictorem, invocavisset. Annibalis autem sublimitas majoris momenti fuit ad

(1) V. Franciæ vitam apud Vasarium.

provehendam Caracciorum causam quàm eorum ratio et jus.

Nihil amabilius quàm illius peregrinantis epistolæ ad Ludovicum : in his ingenium liberum, ardens, sinceritate et admiratione plenum, eminet; parùm scientiæ habet, minùs etiam culturæ; habitus ejus sæpè rudior est, (sese ipse instituit) ; malè eloquitur et verbis interdùm obscurioribus. De his profectò risus aliquandò ortus est, et ideò suspiciosa ejus superbia angi videtur, quum fastidiosè stilum ad perurbanum fratrem Augustinum rejicit (1). Sed si quis adhùc hodiè subridet, idem sanè secretâ simul caritate in pulchram illam sinceritatem, adeò ardentem et ingenuam, impellitur.

Annibal usque ad tremorem, Parmensia Corregii opera intuens, commovetur; in puerilia necnon generosa amoris et admirationis verba se effundit. Lacrimas spargit quum cogitat Corregium miserum in vitâ fuisse, neque unquàm ab æqualibus intellectum (2). Neminem illic visere vult, sed solus cum carissimis operibus manere (3). Adeò felicem cum illis se sentit! Mori autem non vult priusquàm Titianum Venetiæ invisat (4). — Talis planè exstat qualem requirit renovatio, a Ludovico incepta, videlicet ardens ad pugnam quâ illi continget

(1) « Io non mi so dichiarare, nè lasciarmi capire, ma m'intendo bene dentro di me. Agostino ne saprà ben cavar lui la macchia, e discorrerla per il suo verso. » (28 avril 1580, *Lettere de pittori*, I, p. 89.)

(2) « Impazzisco, e piango dentro di me in pensar solo l'infelicità del povero Antonio. Un si grand' uomo, se pure uomo, e non piuttosto un Angelo in carne, perdersi qui in un paese, ove non fosse conosciuto, e posto sino alle stelle, e qui doversi morire infelicemente. » (*Id.*, p. 88.)

(3) « ...non essendomi trasferito qui per stare sulle cerimonie, e suggezioni, ma per potere andare a studiare, e disegnare. » Ludovici amicus Annibalem a solitudine parvulæ cauponæ eripere tentat; negat ille, sed periculo offensionis. Ludovicum precatur ne iram ex eo concipiat : « Io prego V. S. non lo aver per male, e scusarmi presso a lui, come pensate sia meglio, mostrandosi nel partirsi da me, essere andato via alquanto disgustato. » (*Id.*)

(4) « Finche non vado a vedere ancora le opere di Tiziano a Venezia, non moro contento. » (*Id.*)

hostes, id est pulchritudini ab ipso cogitatæ adversarios, obruere et pedibus conculcare (1). Vivido animo salvatur a periculis disciplinæ istius quæ ingenium in regulis includere contendit. Illi tenax inest libertas, in quam omni tempore se vindicat (2). Continuò in fratrem Augustinum luctatur, quem de jactatione et affectatione arguit; cum eo solùm ad impugnandos adversæ factionis defensores consentit (3). Imò eàdem cogitandi libertate etiam cum patruele suo Ludovico utitur, etsi illum altâ reverentiâ et timidiore cultu amplectatur. — Cæterùm ratiocinationem non curat; hæc ad illum non pertinet; quod quidem continuò et rusticâ imperitiâ dictitat (4) : « Rationes tuas *im*plicare (significat *ex*plicare) nescio nec volo; sinceritatem et simplicitatem, quæ veræ sunt nec verisimiles, naturales nec fictitiæ aut jussæ, illas certè amo. Quisque judicio suo judicat, ego ita; nec dicere queo, sed facere, et satis est. »

(1) « Attendiamo ad impossessarci bene di questo bel modo, che questo (Correggio) ha, da essere il nostro negozio, per potere un giorno mortificare tutta questa canaglia berrettina, che tutta ci è adosso, come se avessimo assassinato. (*Id.*, p. 88.)

(2) « Per godere la mia liberta... » — « Perchè io voglio la mia libertà... » — « Senza obbligo alcuno, e soggezione... » (18 avril 1580, p. 85, 86.)

(3) Illum precatur ut Parmam veniat et pulchris illis rebus fruatur. « L'assicuro, che staremo in pace, nè vi sarà che dire fra noi, che lo lascierò dire tutto quello che vuole, e attenderò a dipingere, e non ho paura che anch' esso non faccia l'istesso, e lasci andare tante ragioni, e tante sofisticherie, essendo tutto tempo perso. » (*Id.*, p. 87.)

« Ma per l'amor di Dio senza contrasti fra noi, e senza tanti sottigliezze e discorsi, attendiamo a vincere questa canaglia... Sarà il benvenuto, e staremo in pace. » (28 avril.)

(4) « Io non so tante cause. »

« Orsù non si puo dir tanto, che non sia di più. »

« Promiso à V. S. darvi ragguaglio del mio sentimento, come ancora restammo prima di partire; ma io vi confesso, che è impossibile, tanto son confuso. »

« Avete molto ben ragione. Io però non la so mescolare, nè la voglio : mi piace questa schiettezza, e questa purità, che è vera non verisimile : è naturale non artificiata, nè sforzata. Ognuno l'intende a suo modo, io l'intendo cosi, io non la so dire, mà so come ho a fare, e tanto basta. »

Ludovicus paulò aliter judicabat. In rationis ruinâ, in quam Michelangeli schola artem abripuerat, non esse prudentiæ sentiebat, si unicuique liceret liberè et per se ipsum veritatem quærere et eligere. Timidior erat et modestior quàm ut crederet veteres magistros ejusdem veritatis ideam non planiùs ac meliùs nobismet ipsis concepisse. Ergò illorum oculos statuit ad corrigendos nostros adhibere; et quum numerosæ sint, sæpè etiam contrariæ magistrorum rationes, æquâ sapientiâ et frigido judicio inter omnium dotes ac virtutem delectum facit. Nostro Sieyès similis, Galliam ad amussim dividenti, Caraccius picturam in provincias propriis notis distinctas, separat (1). Qui bonus pictor fieri cupit, habeat ille romanam delineationem, Venetorum motum et umbras, Lombardorum colorem, terribilem Michelangeli modum, naturalem Titiani veritatem, Corregii puritatem supremam, Raphaelis perfectam harmoniam, Tibaldi dignitatem et scientiam, doctam Primatitii inventionem, et aliquid gratiæ quæ Parmesano inest... Ad hoc dubitares an ullus ex istis magnis viris pingendi artem noverit, nisi feliciter adderet Caraccius « deficientibus tot dotibus, *Nicolae* studium satis esse. » Faceta est clausula! — Nec minùs significans videtur privilegium Tibaldo datum, qui solus ex æqualibus in-

(1) Che farsi un buon pittor branca e desia,
Il disegno di Roma abbia alla mano,
La mossa coll' ombrar weneziano,
E il degno colorir di Lombardia;
Di Michel Angiol la terribil via,
Il vero natural di Tiziano,
Di Corregio lo stil puro e sovrano
E di un Raffael la vera simmetria,
Del Tibaldi il decoro e il fondamento,
Del dotto Primaticcio l'inventare,
E un pò di grazia dell Parmigianino.
Ma senza tanti studj tanto stento,
Si ponga sol l'opre ad imitare
Che qui lasciocci il nostro Niccolino.
(*Sonnetto* di Agostino Caracci.)

ter summos præteriti temporis artifices memoratur (1). — Nicolas (dell'Abate) vir modestus est, inter Corregium et Parmesanum medius, sine subtilitate alterius, et sine alterius protervitate, potiùs ad Michelangeli scholam referendus, præter id quod nec ridiculos impetus nec jactationem Vasarii aut Salviatii monstrat; ingenium facile, elegans, clarum, aliquantò vulgarius quem nec insulsitas deterret, nec vacua concinnitas. — Tibaldi autem (1527-1595), quem Caraccii « Michelangelum reformatum » vocabant, opera communia sunt, et plena partibus a Raphaele et Michelangelo, memoriæ operâ, dereptis. Sed ex eo quod de vitâ suâ scimus, vir ille apparet severi ergà se judicii, tanquam unus ex honestis istis artificibus quos vergentes in ruinam ætates solent gignere, quique mediocritate ingenii sui simul et exemplarium sublimitate torquentur (2). Ludovico Caraccio nihil acceptius esse poterat quàm modestia illa, hâc ætate rarissima, et strenui illi conatus, dignitate animi et scientiâ instincti. — Tibaldi et Nicolæ nomina meliùs quàm cætera omnia Bononiensi scholæ patrocinio conveniebant.

Ludovicus autem, quum soli innato homini judicio curam intelligendi et æstimandi magistrorum opera

(1) Confer memoratam Annibalis epistolam : « Nè Tibaldo, nè Niccolino, nè l'istesso Rafaelo... »

Adde autem Nicolaum et Tibaldum amplas picturas, udo tectorio illitas, Bononiæ, in palatio Poggiano (Università) confecisse.

(2) Fertur Papa Gregorius XIII, extrà Portam Angelicam deambulans, vocem queribundam post dumos audiisse; quum appropinquavisset, vidit Pellegrinum Tibaldum, in terrâ pronum sub sepibus, et tanquam parvulum gementem. Hunc amicè interrogavit : « Desperatus sum, respondit Pellegrinus. Artem meam diligo, neque ulla est opera quam non insumpsi ut in eâ solers fierem. Assiduè laboro et enitor ad perficiendum opus meum, adeò ut illud relinquere non possim, nec mihi satisfacere; et omnes hæ curæ tàm minimum pretium adipiscuntur ut vivere nequeam. Quum igitur crudelem hunc rerum statum pati non valeam, hìc solus et seorsùm veni, paratus ad moriendum fame, ut omnibus miseriis me vindicarem. » (De Piles, *Vie des Peintres.*)

committere nollet, instituit Academiam *dei Desiderosi* (id est *desiderantium* antiquam perfectionem), quos brevi, in testimonium comprobationis, appellavit *Incamminati* (in rectâ via positos). Inter illos ratiocinatoris partes agebat Augustinus (tractatus scenographiæ et architecturae, disputationes de historiâ et fabulâ); Annibal picturam et delineationem docebat. Discebant disciPuli quamobrem pulchra opera diligenda essent, et quomodo ista eadem imitatione apprehenderentur. Æmulatio certaminibus concitabatur, quibus celebres pictores, tanquam judices, præsidebant. Ad relaxandos animos tirones rus ducebantur, et camporum prospectus delineabant. In summâ liberi manebant, eâ lege ut rationi, magistris, naturæ parerent (1). Exiguam sanè libertatem, ut infrà patebit!

Reverâ Caracciana renovatio præsentem rerum statum parùm mutabat. Ex omnibus corruptelæ causis, uni tantùm obstabat, fugaci quidem et fortuitæ, scilicet Michelangeli auctoritati. — « Annibal quâdam die Minervæ templum ingressus, cum Florentino artifice, gen-

(1) Primo adspectu similitudinem quamdam inter Caracciorum institutionem et Leonardi disciplinam deprehendas. Vult Leonardus discipulos, ratione et viâ, primùm scientiæ (scenographiæ), mensuris, magistrorum exemplaribus addici; posteà veniunt studia ex naturâ; posteriùs etiam itinerum series, quibus perficitur judicium, priusquàm pingere incipiant. (II, 45, 60.)

Alio loco ait delineandum esse primùm ex magistrorum delineationibus, postea ex *rilievo*, tandem ex *buono naturale*. (II, 79.)

Sed Leonardi regulæ ad tirones solos pertinent, Caracciorum autem ad artifices. Longe aliter loquitur Leonardus, quum de pictore agitur: tùm protegendum ingenii impetum curat (v. II, 63, murorum rimæ, foci flammæ), et inventionis libertatem. (II, 61). — « Si regulas ad tempus compositionis adhibere velis, nunquàm rem perficios, et perturbationem operi tuo injicies. » — « Regulæ tantùm ad corrigendas figuras utiles sunt. »

Pictor, ad Caracciorum mentem, artis peritissimus, quærit ut aliorum rationes sibi vindicet, et eorum regulas assumat. — Dicit contrà Leonardus :

« Dico ai pittori che *mai nessuno deve imitare la maniera dell' altro*, perchè sarà detto nipote e non figliuolo della natura... » (II, 78.)

tis suæ superbiâ inflato, Christi statuam perspexit, et dixit : « Caspitra! hæc est Michelangeli! hujus pulchritudinem considerate, vos omnes; sed ut eam planè intelligeretis, prorsùs oporteret videamus quonam modo, *illo* tempore, facta essent corpora; » deridens quod Michelangelus naturam non exactè imitatus esset (1). » — « In sculpturâ et picturâ, Michelangelus similitudinem carnis figuris dare non valuit; hæ tantum anatomicæ scientiæ respectu pulchræ et insignes sunt (2). » — Verisimile etiam est odium istud falsi *idealismi* (scilicet immodici idearum cultûs), non parvi momenti apud Annibalem fuisse, ut ille vulgarem naturam tam servili et insulso studio imitaretur.

Sed hoc arti parùm profuit; nempe supersunt graviores corruptelæ causæ, atque etiam necessariâ lege crescunt. Facilè credas Caracciorum disciplinam non eam esse quæ ingenuas artes a veterum auctoritate exsolvat.

« Annibal Caraccius, ait unus ex illius fautoribûs, Raphaelis gratiam et delineandi calliditatem, anatomicam Michelangeli scientiam, Corregii dignitatem et pingendi solertiam, Titiani colorem, Julii Romani et Andreæ Mantiniæ inventionem in se collegit, et ex ratione decem aut duodecim summorum pictorum, propriam suam composuit; haud secùs ac si, in transitu culinæ in quâ unaquæque ratio vasi separato contineretur, ex unâquâque cochlear in vas suum immisisset (3). »

Profectò infensissimus Caracciorum detrectator crudeliore ergà eos sermone uti non posset!

Reverâ Bernini judicium potiùs ad scholam quàm ad magistrum, id est ad Annibalem, pertinet. Ille animum opere præstantiorem et inventis liberiorem gerit. E na-

(1) Bernini Diar, *Gaz. des Beaux-Arts*, XV, 317.
(2) Id., *ibid.*, XV, 316.
(3) Bernini Diar, *Gaz. des Beaux-Arts*, XV, 505.

turâ quidem neque poesim, neque pulchritudinem haurit; hæc ab aliis discit: propria autem illi et singularia sunt libertas, et robur, et vividus vigor (1). Ad dignitatem acquirendam se ipsum cogit et torquet; sed, si usus veniat, illam (ut solent recta et sincera ingenia), decentiùs tractat et faciliùs exsequitur quàm affectati et delicati artifices. Quod planè in Farnesiensibus ædibus patet, in quibus ille aliquid magnificentiæ et lautæ præteritorum temporum majestatis exhibuit.

Attamen, etsi Annibal, innatâ tenacitate, circumjacentium scholarum auctoritati paululùm obstet, (quoties verò ipse sub jugulum cadit!), auctoritas illa cæteros, indole debiliores et forsan maximè excultos, abripit. Post libera ingenia, post proximos imitatores, ecce ad

(1) Illius etiam mors animos movet (v. Epist. Gio. Batt. Aguicchi, 15 jul. 1609. *Lettere...*, II, 384); necnon desperatio de indignâ cardinalis Farnesii agendi ratione, asperum vitæ fastidium, adeò ut de sibi consciscendâ nece cogitavit : « Egli andò ultimamente, quasi li venisse a noja il vivere, a cercarne la morte a Napoli, e non l'avendo trovata là, e tornato in questa pessima stagione, pericolosissima da fare tal mutazione d'aria, ad affrontarla a Roma. » Intrà sex dies voluptatibus et febri periit.

Intelligas Annibalem tanquam deum fuisse habitum in istâ ætate in quâ solus rustici stirpis vigorem et simplicitatem servat.

Berninus quidem usque ad venerationem ergà eum accedit (*Gaz.*, XV, 312, 505). Qui quùm parvam Annibalis *Nativitatem* videret : « Qui eam tenebat, potiùs vitam quàm hauc tabulam dare debebat. » (XV, 508.)

De Farnesiensibus picturis : « Pulcherrimum Romæ opus post Raphaelem. » (XVI, 171.)

Ait etiam : « Il cervellone grande d'Annibale » (XVI, 369.)

Annibalem Veronensi multò præstare putat : « Si Raphaelis tempore vixisset, illi invidiam dare potuisset, eò magis Veronensi, Titiano et Correggio. » (XXIX, 265.)

Berninus « quadringenties ipsas Farnesiensium ædium picturas vidit, et semper earum imitationibus delectatur. » (XXIX, 457.)

Caput quoddam Sancti Joannis adspiciens : « Se fosse stato nel tempo di Rafaello, gli avrebbe dato fastidio. » (XXIX, 453.) Etc.

Memorare etiam Annibalis epitaphium a Carolo Maratta (Pantheon, 1674). « Annibal Caraccius, Bononiensis, hìc est Raphaeli Sanctii Urbinati, ut arte, ingenio, famâ, sic tumulo proximus. »

Picturæ in Farnesiensibus ædibus udo tectorio illitæ a permultis imitatoribus repetuntur (L. Giordanus, P. di Cortona, Romanellius in Galliâ; Le Brun; Mignard; etc.)

imitatorum simulatores venimus, ad eos qui magnis operibus per prælectiones tantùm fruuntur. Judicium ubique frigidius et siccius fit, tanquàm si ex machinâ quâdam oriatur. Animi intereà parùm eriguntur; imò crescit nonnullorum exemplarium periculosa gratia, cum honestiorum detrimento. Corregius enim Caraccii verè Deus est; cui etiam Raphaelem sine verecundiâ posthabet (1).

Metuendum illud exemplar omnem Caraccianæ disciplinæ fructum ad ultimum tollit (2); nempè, apud quosdam scholæ fautores, locum Michelangeli intercipit; ità ut aliud exoriatur tumoris genus, modò insulsioris et cogitatione magis destitutæ. — Exempli gratiâ, Lanfrancus (1580-1647) nequidquam Augustini et Annibalis prælectionibus instituitur; ex his celeriores tantùm rationes et præcipitia consilia retinet. Illum Parmensia Corregii opera « ad summam admirationem et ingentes cogitationes (3), » (puta ad magnificos gestus et af-

(1) « Io non so tante cose; sono stato questa mattina a vedere l'ancona del S. Girolamo, e S. Caterina, e la Madonna che va in Egitto della scodella, e per Dio io non baratterla nissuna di quelle con la S. Cecilia. Dite la grazia di quella S. Caterina, che con tanta grazia pone la testa sul piede di quel bel Signorino, non è più bella della S. Maria Maddalena? Quel bel vecchione di quel S. Girolamo non è più grande, e tenero insieme (che è quel che importa) di quel S. Paolo, il quale prima mi pareva un miracolo, e adesso mi pare una cosa di legno tanto dura, e tagliente? » (18 avril 1580. — *Lettere*, I, 86.)

Altra Caracciorum admiratio utilior fuisset; scilicet Titianus; verùm neque judicium illius, neque consilia exsecuti sunt : illum modò ad verbum imitati sunt. — Cujus effigiem Augustinus strenuè scalpsit.

(2) Corregii auctoritas usque ad finem XVII[i] sæculi ità prævaluit, ut illius opera cum pictoris B. Schidonis operibus (1570?-1615) confundi potuerint; quem Malvasia narrat Bononiensem esse, Caracciorum discipulum, et quem potiùs credimus in Mutinensis Pellegrini scholâ versatum, paucisque Corregii tabulis formatum (*Notte. S. Giorgio*). — « Sono molti ch' hanno giurato esser dal Parmigianino o del Correggio, » scribit Eques Marinius de delineatione quâdam, a Schidone missâ. (*Lettere*, 1673. Venet., p. 321.) — Schido iste exemplo suo monstrat Corregium ætatis sententiam rectè exprimere; nam ipse proprio sensu suo laborat, et gravior ejus subtilitas sinceritatem redolet.

(3) Dans un enthousiasme de vastes pensées. (R. de Piles.)

fectatam jactantiam), evehunt. Quid ergò prodest redundantem XVI[i] sæculi facilitatem pro « terribili artificio » (« terribil pratico ») deseruisse? Crevit inanitas, et dolosa scientia; vitæ quod supererat, evanuit.

Attamen, si Caraccianæ renovationis summam amplectaris, mendacium artis minùs grave, aut saltem minùs turpe apparebit; major adest probitas, aut probitatis species; sed jejunitati etiam frigidiori conjuncta. Sic inflata XVI[i] sæculi concinnitas in Albano pallidior et moderatior, nec minùs insulsa, evadit.

Frustrà enituntur Caraccii et priscorum temporum magistros prædicant : non Titianum, nec Raphaelem imitantur discipuli, sed Caraccium. Dicas oculos ad videndum non jam aptos esse; quoniam pictor, quidquid videt, ad mortua præcepta accommodat. Lanfranci ex Loggiis scalpturæ (1607), Augustini et totius scholæ opera satis illud demonstrant.

Celeberrimus Bononiensis Academiæ discipulus, Guidus (1575-1642) conari cœpit ut Ludovici disciplinam absumeret : à quo illum ipse Ludovicus benignis et perspicacibus consiliis deterruit. Paulò post, laborat Guidus ad simulandas Caravaggii tabulas e Româ missas. Jam memoravimus Annibalis verbum : « Pulchram eorum rationem subducamus, ut bilis urat aliorum jecur. » Annibal autem nunquàm in alienâ disciplinâ sese occlusisset : totâ viâ potiùs erravisset. Quod quidem satis constat ex monitu quo Guidum compellavit : « Cur Caravaggium simpliciter imitaris, quum exemplum illius in usum contrarium vertere possis? Inspice hunc pingendi modum, et tibi rationem oppositam finge ut vitia quæ rejeceris in lucem edas. » — In hâc sententiâ strenuus vir, ad agendum instructus, eminet : illi in animo est Guidum, saltem per aliquod tempus, tanquam instrumento ad pugnam uti. Atqui mediocre Guidi ingenium, ad inventionem parùm fecundum, magistri

consilia non neglexit (1) : adeò ut externa ejus et quasi corporea calliditas, sano et modico judicio adjuta, satis ei fuerit ad parandam in hâc provinciâ gloriam quâ magistros et æmulos suos, etsi multò præstantiores, oppressit. Imò duo hominum sæcula decipere valuit (2). Gœthe et Stendhal ab illo adhùc illuduntur. Pictura ista celebritatem et circulos redolet, speciem evocans viri litterati, perurbani, diserti, honesto sensu et rectâ intelligentiâ præditi, (dico hujus modi intelligentiam quæ præsentis temporis ideas frigidè reddat, quæque « nobilis » a plerisque appelletur, quia ejus inanitatem dissimulat habitûs dignitas). Sermo illius elegans est et angustus ; eadem semper iterat, et iterationibus lætatur. Jactat decurias supplicantium aut amantium oculorum quos ad cælum evexit ; nullus autem animi affectus misellis istis inventis vitam incutit. Talibus opusculis si quis quosdam a Sodomâ effictos habitus, Guidi prænuntios, comparat, planè sentiet quantùm intereà iter ad ruinam absolutum fuerit. Sodomæ enim segnitia vim et vigorem obtegebat ; operosa Guidi cura cogitatione et sensu vacua est. Jam non sufficit labor ut recreentur corda, desidiâ et voluptate per totum sæculum exhausta.

Solus qui imo pectore aliquid innatæ sinceritatis servat, Dominicinus (1581-1642) voluntate nimis caret. Neque adversùs inimicos suos, valdè strenuos, sese tueri valet, neque adversùs imprudentes amicos, qui illius tantùm vitia admirantur. Mollioris ille animi est, timidi et mœsti. Primò quidem conatur ut magistrorum præcepta benè recordetur, et ingenium suum in disciplinam eorum cogit. Quum autem se in libertatem vindicat, a nemine

(1) Scilicet violentas ponderosasque Caravaggii umbras, ejusdemque trucem et pallidam lucem deserit, et aggreditur candidum et diffusum lumen in quo omnia æqualia, tepida, prævisa sunt, — et inutilia.

(2) « Il restauratore della grazia. » — « Il creatore della maniera moderna. » (Baldinucci, Malvasia, Lanzi, etc.)

intelligitur et de infamiâ statim arguitur (1). Posthàc tamen, quandò animum relaxat, sensûs nitore et juvenili mentis lepore (2) omnes ità obstupefacit, ut nemo illum agnoscat. Oportebat illum solum remanere, contrà fautores suos simul et contrà detractores protectum (3). Forsan optima Caracciorum consilia eò tantùm successerunt ut discipulum cæteris omnibus præstantem, obruerent.

In oppositâ factione quærenda sunt fortia ingenia, inter adversarios, aut saltem inter solutos a scholâ artifices. Istis verò judicium deest, sæpe etiam intelligentia. — Guercinus (1591-1666) « picturæ *magus*, » ut appellabatur, rustici filius, rusticus ipse, majorem vim per se solus habet quàm omnes Annibalis discipuli (4). Sed rudes ejus et perversi oculi, quibus solum robur sensile est, res omnes umbrâ quasi subrubrâ, et omnes affectus gravi molestâque vehementiâ involvunt.

Pariter ferox Caravaggius (1569-1609), fastidiosus ille Annibalis et Guidi inimicus, solus ex aetatis suæ artificibus, effrenato libidinum impetu verè invehitur. — Paulò pòst, liber et truculentus Salvator (1615-1673), copiosissimus inter æquales animus, Michel-

(1) V. Picturas S. Andreae della Valle; de quibus delendis quæstio fuit. Illas reficere Lanfrancus volebat.

(2) V. *Dianæ Venationem* (Museo Borghese).

(3) Dubitandum tamen est num Dominicinus per se vivere valuisset. Sodalium plagiger, dùm juvenis, exilis et taciturnus erat; illi opus fuit Ludovici et Annibalis tutelâ. Liberiori Annibali tribuitur hoc de duobus S. Gregorii picturis judicium : opus Guidi intuens, ait : « Ecce magister »; et Dominicini : « Ecce discipulus »; cui statim addidit : « Sed discipulus magistro doctior est. » (*Lettere di pittori*, III, 384.) Annibal autem citiùs mortuus est, et Dominicinus inimicis, ut Riberæ, Lanfranco, Guido, traditus est. — « Adversùs me proximos etiam meos habeo, scribit ille ad Albanum; nemo est cui confidam. »

(4) Hoc Ludovicus ipse agnoscit : « Quà vi è un giovane di patria di Cento, che dipinge con somma felicità d'invenzione. E gran disegnatore e felicissimo coloritore; è mostro di natura, e miracolo da far stupire chì vede le sue opere. Non dico nulla; ci fà rimaner stupidi li primi pittori. » (25 oct. 1617 à Ferrante Carlo. — *Lettere*, I, 210.)

angeli cujusdam dissoluti et rebellantis partes agit (1).

Id autem maximè mirandum est, scilicet inter tot artifices neminem eum esse qui naturam sincerè videre valeat. De illâ quisque loquitur, in Caracciorum factione tanquam in alterâ; quisque illâ fulcitur: nemo illam videt.

Dictitant Caraccios ruris picturam creavisse; quod quidem falsum est : nam, ut omittam amœnos camporum prospectus, in Ombrianorum tabulis (Perusini, Pinturicii, Raphaelis, Sodomæ, Petri della Francesca), aut veterum Venetorum (Carpaccii, Cimæ da Conegliano, Giorgionis, Palmæ, Basaiti), insertos, — notavimus apud Andream del Sarto et Titianum veras ruris effigies (2). Fatendum tamen est id genus in arte XVII[i] sæculi præcipuum locum obtinuisse (3).

(1) Quùm Passerius illum, circà vitæ finem, spectaret pingentem *Sanctos Cosmum et Damianum* in Ecclesiâ S. Giovanni dei Fiorentini, dixit Salvator : « Quid ergò? creduntne hoché me eum esse qui magnas figuras depingere valeam? E cœlo descendat Michelangelus, si placeat, et nuda corpora meliùs quàm ego, delineet, si possit! » (Lady Morgan, *Mém. sur la vie et le siècle de Salvator Rosa.*)

Ipse Josepinus Michelangeli delineationibus ex hereditate Danielis de Volterrà eductis, instituitur (Adde quidem illum nihil ex eis intelligere).

(2) Nec omittendae sunt Leonardi ruris effigies; quae quidem veritate in universum carent, sed partes omnes minutim exactâ imitatione redditae sunt; summa sola inventa est. Dicebat Corot Leonardum illud genus, quale recentiores intelligunt, verè invenisse. — Hoc notationum codicilli, meliùs etiam quàm ejus tabulæ, demonstrant. Ubi vividiorem et acutiorem naturæ visum invenias, quàm in Descriptione Diluvii, arborum, montium, et præsertim Tempestatis (*Tratt. d. pittura*, II, 144. E, 19 r°, 3 v°. G, 6 v°, 6, 8 r°, 9 r°, 28 r°, 29 r°, etc.). Vide etiam notatiunculas, inter artem et scientiam medias, de nuce, de salice, de ulmo, de sambuco, de hibernis prospectibus, de nebulis, de abscedentibus, etc.

Cf. Epistolam Jacobi de Pontormo (1494-1557) ad Varchium (*Lettere*, I, 15), in quâ ruris sensus in picturâ vividè exprimitur. Ait picturam sculpturâ præstare, « perchè vuole imitare tutte le cose, che ha fatto la Natura, co'colori, perchè elle pajano cose, e ancora migliorarle per fare i suoi lavori ricchi, e pieni di cose varie, facendo, dove accade, come dire splendori, notte con fuochi, e altri lumi simili, aria, nugoli, paesi lontani, e d'appresso i casamenti con tante varie osservanze di prospettiva, animali di tante sorte, di tanti vari colori, e tante altre cose : che è possibile, che in una istoria, che tu facci, vi intervenga ciò, che fe mai la Natura. »

(3) Ruris pictura defessis ætatibus adolescere solet, quibus animus,

Annibal, ut vidimus, non tam proprio motu quàm contradictionis studio, naturæ similitudinem persequebatur, scilicet ut se vehementiùs segregaret a mendaci temporis sui disciplinâ, (ne idealismum nominatim proferam) : quod quidem ex operibus suis liquet. Pingit enim quod videt, ut videt, sine amore et sine curiositate. Crederes naturam ingenuam et sanam, ut ille est, concitatum quemdam affectum aliquando exprimere ; sed rustici rus non semper optimè intelligunt : terram tantùm vident quam excolunt, et fructus quos conseverunt. Ruris imagines apud Annibalem pertritæ sunt et exsangues (1).

Dominicini prospectus aliquid majestatis monstrant, necnon mæstitiæ speciem : ea autem auctoris est; in omnibus subjiciuntur res frigido oneri rationis quæ, quòcumque intervenit, solitudinem et silentium affert. Natura instrumentum ornationis est. Is tamen erat Dominicinus qui ex illâ delicatum sensum conciperet, non ità fortem, sed blandum et amœnum, qualem deprehendere putamus in modestis Acantis cum Polyphilo colloquiis (ad finem *Psyches*, nostri la Fontaine) (2).

Albanus (1578-1660), ad voluptatem promptior, pulchros Titiani prospectus recordatur, et forsan etiam aeris blanditias, pellucidasque umbras, in Medolanis aut Querciolanis campis, ejus « Tiburtinis deliciis »,

vitæ fastidiosus, procul ab hominibus et actione discedit, ut in salutare somnium simplicibus coloribus, et naturali rerum harmoniâ exornatum, sese immergat.

« Flumina amem silvasque inglorius... »

Sic ad maximos auctus, Augusto regnante, cum Ludio crescit illud genus.

(1) Quod Berninus, ejus fautor, ipse fatetur : « Caraccii rura tantùm sinceritate perspicua sunt quâ depicta sunt : nulla dignitas. » (*Gaz. des Beaux-Arts*, XXVI, 368.)

Adde etiam sinceritatem illam intelligentiæ expertem esse : rus enim non intelligit.

(2) Confer *mulierem cum monocerote*, in ædibus Farnesiensibus, et suave argenteum rus.

quas salientes fontes refrigerant. Sed mediocre ejus ingenium memoriam restringit, et vividas imagines in scenicos apparatus commutat.

Neque felicior exstat altera schola. Frustrà clamitat Caravaggius tabulas non effictas ex naturâ, pannulos tantùm esse, et quasi « carta dipinta » ; nemo, mehercle, veritatem minùs curat quàm qui se illi omninò et semper addictum venditat. Abditus in cubiculo, muris nigro colore fucatis, clausis fenestris, sub lucernæ luce studens, quid ex naturâ perspicere queat nisi lugubrem et pallidum nitorem solidi fragmenti quod furiosè depingit? Parvi momenti sunt verba : si *idealistarum* nomine intelligas, non fictitia quidem et concinnata ingenia, sed viros ingenuos qui naturam fortibus ideis suis subjiciunt, et illam ex internis speciebus exprimunt, tùm Caravaggius præcipuus ætatis suæ « idealista » haberi debet.

Salvator Rosa naturam ipsam saltem vidit et sentiit; in eâ vixit; admodùm adolescens, in Brutio (Abruzzes) cursitavit, vigilavit, somniavit, furum et propolarum familias per Calabriam secutus, circà Gargano et Bari maris adspectu inebriatus, cujus repercussum in effrenatis ejus operibus invenies. Nemo verò evidentiùs monstrat quàm difficile sit italicæ XVII[i] sæculi artificibus circumjacentia simpliciter videre. Salvator quidem nullâ scholari disciplinâ laboravit; se ipsum liberè instituit; cœpit subitò ex naturâ pingere : attamen fugit illum natura; nihil aliud effingit quàm ingenium suum. In eo incensam poesim sentimus, amaram tristitiam, et quasi *romanticum* aliquid, si a recentioribus verbum et rem nuncupare ausim. Quemadmodùm autem sensus illius violentus est, sic visus mediocris, nec clarus, nec certus (1),

(1) Ex itineris epistolis videtur potiùs *rara visu*, quàm ipsam *naturam* diligere : deest poetica subtilitas.

« Il viaggio è pittoresco... è d'un mesto così stravagante d'orrido, e di

qui species omnes in scenicos adspectus vertit. (Vide in tabulis naturam immitem, distortam, luctuosam.)

Intelligunt omnes opus esse ut ruris significationem in tabulis suis explanent, intermissâ actione quam ex historiâ, aut pastorum vitâ, aut alio extraneo argumento desumunt. Aliter res non satis clarè se haberet. Caraccius *venationem* (Louvre, 135), aut *piscatum* (ibid., 134) effingit. Nulla est inter veterum fabulas quæ in Albani operibus non decurrat. Salvator in naturam casus quosdam introducit, ad concitandam curiositatem aptos. Gallicæ ruris picturæ sententiam aut philosophiæ, aut litte-

domestico, di piano, e di scosceso, che non si può desiderar di vantaggio per lo compiacimento dell' occhio... Vidi a Terni la famosa cascata del Velino, fiume di Rieti; cosa da far spiritare ogni incontentabile cervello per la sua orrida bellezza, per vedere un fiume, che precipita da un monte di mezzo miglio di precipizio, ed innalza la sua schiuma altrettanto... » (13 maio 1662, a Ricciardi, *Lettere*..., I, 328.)

Salvator tamen litteratus est, sermonis sui compos. — Misellam hanc descriptionem cum vividâ veritate *Tempestatis* a Leonardo descriptæ :

« Considera... quando il vento, soffiando sopra la superficie del mare o della terra, rimove e porta seco quelle cose che non sono ferme con la universale massa. E per ben figurare questo...., farai prima i nuvoli spezzati e rotti drizzarsi per il corso del vento, accompagnati dall' arenosa polvere levata da' lidi marini : e rami e foglie, levati per la potenza del furore del vento, sparsi per l'aria ed in compagnia di moltre altre leggiere cose : gli alberi e le erbe, piegati a terra, quasi mostrar di voler seguire il corso de' venti, con i rami storti fuor del naturale corso e con le scompigliate e rovesciate foglie : e gli uomini, che li si trovano, parte caduti e rivolti per i panni e per la polvere, quasi sieno sconosciuti, e quelli che restano ritti, sieno dopo qualche albero, abbracciati a quello, perchè il vento non li strascini; altri con le mani agli occhi per la polvere, chinati a terra, ed i panni ed i capelli dritti al corso del vento. Il mare turbato e tempestoso sia pieno di ritrosa spuma infra le elevate onde, ed il vento faccia levare infra la combattuta aria della spuma più sottile, a uso di spessa ed avviluppata nebbia. I navigli che dentro vi sono, alcuni se ne faccia con la vela rotta, ed i brani d'essa ventilando infra l'aria in compagnia d'alcuna corda rotta ; alcuni alberi rotti caduti col naviglio attraversato e rotto infra le tempestose onde ; ed uomini, gridando, abbracciare il rimanente del naviglio. Farai i nuvoli cacciati dagli impetuosi venti, battuti nelle alte cime delle montagne, e fra quelli avviluppati e ritrosi a similitudine delle onde percosse negli scogli ; l'aria spaventosa per le scure tenebre fatte nell' aria dalla polvere, nebbia e nuvoli folti. » (*Trattato della pittura*, II, 144.)

ramur, aut morum studio adscitam semper affectant (1). Quam disciplinam perfectâ et absurdâ ratione explicat in sermonibus suis Sebastianus Bourdon, in quibus, quùm varias ruris species variis affectuum generibus convenientes definire velit, diem in sex horas dividit : « Aurora sæpiùs amantium consiliis favit... Si hoc argumentum aut aliud simile tractas, ne eligas aliam horam... » (2).

Cæterùm, quodcumque agitur, aut rus, aut homines, Caracciorum discipuli naturam rectè videre nequeunt. Hoc verbo non rem ipsam, quam nos intelligimus, significant, sed naturam rationis præsentiâ immutatam et illuminatam. Berninus nobis ingenuâ superbiâ scholæ arcana patefacit :

« Ut naturam rectè imiteris, oportet aliquando ut fingas quod in naturâ non sit (3). »

« Pulchrum et decorum in naturâ non inveniuntur (4). »

« Omnis pulchritudo ex symmetriâ constat (5). »

Undè fit ut omnia ad symmetriam referenda sint. — Naturam autem corrigere facile est :

« Crura potiùs longa quàm brevia fingas; paululùm hoc quod addideris, pulchritudinem auget, et paululùm quod abstuleris, figuram gravem et onerosam efficit; — viri humeros potiùs amplos quàm angustos; — caput paulò minus quàm majus; — mulierum humeros paulò arctiores quàm naturâ videri solent; — pedes potiùs exiguos quàm crassos (6). »

(1) Claudius Gellée excipiendus est, etsi fabulosa aut historica argumenta in suas ruris effigies introducere cogatur. — Ille autem reverâ non Gallus est, sed inter Belgicum et Italicum medius.

(2) *Conférences de l'Académie royale de peinture et de sculpture* (H. Jouin, 1883, in-8°, p. 129).

(3) Bernini Diar, *Gazette des Beaux-Arts*, XV, 194.

(4) Id., *ibid.*, XXI, 383.

(5) Id., *ibid.*, XV, 191.

(6) Id., *ibid.*, XXIX, 452.

Quoniam autem naturæ opus semper refici debet, æquum erit, in studiis adolescentiæ, quàm minimè ex naturâ delineandum (1).

Ipse Berninus jactat se, dùm effigiem ex vivo ducit, minimè hominem intueri, sed ex cogitatione laborare. « Præcipuè *illic* inspiciebat, ait frontem ostendens in quâ esset S. M. *idea;* aliter imitationem fecisset, non exemplar; nam, in talibus effigiebus, aliud etiam præter similitudinem fingendum est, scilicet quod in illis heroum capitibus latet (2). » — Ad summum, aliquas adumbrationes ex rege describit, ut species menti rectè imprimatur, et ibi permaneat « imbuta et absumpta » (« insuppata e rinvenuta ») (3). — Denique, « quum Berninus sensum quemdam aut affectum in ore hominis, quem effingendum incepit, exprimere vult, ipse habitum eumdem induit quem exemplari suo dare intendit, et se in eâ actione callido artifici delineandum offert (4). »

Hæc est Caraccianæ artis imago : totum orbem per exiguos oris sui ductus transpiciunt (5). Opus frigidam

(1) Id., *ibid.*, XXIX, 263.
(2) Id., *ibid.*, XVI, 374.
(3) Id., *ibid.*, XVI, 376.
(4) Id., *ibid.*, XV, 511.
(5) Diceres Leonardum illos in mente habuisse, quum in *Tractatu* in eos invehitur, qui « fanno una pratica senza pigliar consiglio dalle opere di natura. » (II, 55.) — « Come nelle opere d'importanza, l'uomo non si deve mai fidare tanto alla sua memoria, che non degni ritrarre dal naturale. — Quel maestro il quale si disse d'intendere di poter riservare in se tutti le forme e gli effetti della natura, certo mi parrebbe che fosse ornato di molta ignoranza ; conciossiacosachè detti effetti sono infiniti, e la memoria nostra non è di tanta capacità che basti. » (II, 73.) — « Sempre il pittore che vuole aver onore delle sue opere, deve cercare la prontitudine de' suoi atti negli *atti naturali* fatti dagli uomini *all' improviso* e nati *da potenti affezioni* de' loro affetti, e di quelli far brevi ricordi ne' suoi libretti, e poi a' suoi propositi adoperarli, col far stare un uomo in quel medesimo atto, per vedere la qualità e l'aspetto delle membra che in tal atto si adoprano. » (II, 124.) — Postquàm artem perspectivam et anatomicam didiceris, (pergit Leonardus), « sii vago spesse volte nel tuo andare a spasso di vedere e considerare i siti e gli atti

tantùm pictoris rationem refert. — Sic expletur symmetriæ studium, huic ætati innatum. « Romæ in proverbio est veritatem *nullâ parte exstare nisi apud Equitem Berninum* (1). » Quæ vox ridendum XVII^mi sæculi errorem satis perspicuè demonstrat. Nonne enim veritas ubique circà nos jacet? — Scimus verò quid Berninus hoc verbo intelligat : « De nullâ re curo quæ parva sit (2). » — Non sine magno periculo naturæ simplicitatem expellere tentat, qui in se veram magnitudinem non gerit.

Itaque Caraccii exhaustam artem ad naturam revocare non valuerunt; quod quidem non satis acriter persecuti sunt, eâ unicâ curâ defixi ut effrenatum XVI^mi sæculi ingenium sub jugum retraherent. Cæterùm prudentia fortasse vetabat ne habenas rursùs redderent : nempè Italica hujus ætatis ars ex tetrâ colluvie debilitatis et arrogantiæ constabat. Caraccii deliramenta partim cohibuerunt; debilitati autem remedium non invenerunt, — quod nescio an inveniri potuisset. Demùm malo obstiterunt potiùs quàm bene fecerunt. Vi-

degli uomini nel parlare, nel contendere, nel ridere, o nell' azzuffarsi insieme, che atti sieno in loro, e che atti facciano i circostanti, spartitori o veditori di esse cose, e quelli notare con brevi segni in questa forma (*sequitur exemplum*) su un tuo piccolo libretto, il quale tu devi sempre portare teco. » — Fieri debet hæc brevis notatio, « *senza ch'essi si avveggano che tu li consideri, perchè se s'avvedranno di tal consideratione, avranno la mente occupata a te, la quale avrà abbandonata la ferocità del loro atto, al quale prima era tutta intenta,* come quando due irati contendono insieme, e che a ciascuno pare aver ragione, i quali con gran ferocità muovono le ciglia e li braccia e gli altri membri, con atti appropriati alla loro intenzione e alle loro parole; *il che far non potresti, se tu gli volessi far.* »

(1) Diar Bernini, *Gazette des Beaux-Arts*, XX, 280.

(2) Inter alia exempla falsæ magnitudinis, Bernino innatæ, vide ejus consilium ad complendum spatium inter duas ædes : Louvre et Tuileries : — fingere amphitheatrum, ad exemplar Colysei, binâ facie instructum (alterâ *Louvre* versùs, alterâ *Tuileries*), cum decem millibus sedibus ex unâquâque parte, et in medio ædes magnificas. Posteà duas columnas, ad instar Trajanæ et Antoninæ, — et inter illas, Regis equo sedentis statuam (*Gazette des Beaux-Arts*, XIX, 284).

dimus illos periculosæ Michelangeli auctoritati repugnavisse, et aliquid dignitatis, sin minùs vitæ, animis reddidisse; sed artem, ad ultimum, scholarium præceptorum onere et rationis imperio perfregerunt, nedum exsuscitaverint. Properavit igitur, illis præsentibus ac ducibus, præceps ruina; cui saltem quamdam dignitatis speciem addiderunt : ità ut ars italica, statim ab exitiosis XVI^{mi} sæculi bacchationibus, pudore correpta, sese ad moriendum gravitate et decente mæstitià obnupserit.

CAPUT VI.

QUOMODO EX ITALICÆ PICTURÆ RUINA ORTA SIT EUROPÆANÆ PICTURÆ MAGNITUDO.

Per duo sæcula, scilicet XVI^{mum} et XVII^{um}, Europæana pictura iisdem fontibus atque Italica maximè sustentatur : dùm autem ea in ruinam præcipitat, illa continuò evehitur et ad magnificum splendorem, pereunte alterâ, emergit. Quum Caraccii profligatam artem suam ægrè tutarentur, Belgium, Gallia, Hispania et Batavia ingenium suum in Rubentis, Pussinii, Velasquis et Rembrandi operibus, summâ perfectione expressum, proferebant. Quorum duo priores ipsius Italiæ alumni fuêre, duo posteriores hæreditatem scientiæ, ab illâ partæ, ex magistris suis receperunt, et eâ liberè usi sunt.

Quomodo ex iisdem principiis tam dissimiles effectus exorti sint, breviter exquirere intendimus, rati Italicæ artis ruinam faciliùs intellectum iri, si prius patuerit quibus ipsa Italia dotibus a reliquâ Europâ discrepet.

Uno verbo, cæteris gentibus Italiæ exemplum eò magis profuisse videtur quò magis ab illâ differrent, scilicet Galliæ minùs quàm Belgio, et ambobus minùs etiam quàm Hispaniæ et Bataviæ. Batavi enim et Hispani ex indole suâ complementum aptum duxerunt quo carebat italicum ingenium, et exemplaris vitia contrariis vitiis compensantes, medium quoddam temperamentum, ar-

tibus perutile, saltem ad tempus, obtinuerunt; cæteri autem, quum secreta et adhùc parùm conscia naturæ suæ studia, in alienis operibus ad perfectionem expleta, reperirent, innato simulque comprobato impulsu ultrà sapientiæ fines prolapsi sunt.

Cæterùm fatendum est utrosque pariter, ad finem XVII[i] sæculi, eodem vitio, id est exanimæ perfectionis cultu, laborare : pictura enim, scholaribus et immutabilibus regulis tradita, eamdem mortem, idem funus redolet ac Byzantinæ in Italiâ IX[i] sæculi tessellæ.

*
* *

Plerique Gallicorum XVII[i] sæculi pictorum per Italiam peregrinati sunt; nonnulli etiam in eâ vitam ferè totam degêre (1) : — Sarrazinus, octo et decem annos; Valentinus, undecim; Voetius, quatuordecim; Pussinius, quadraginta (1624-1665, præter quod in Galliâ, a Jan. 1641 ad finem Sept. 1642 moratus est); Claudius Lorrain, quinque et quinquaginta (1627-1682). Callot ter in eam confugit. Sebastianus Bourdon, Calvini fautor, Inquisitionis periculum adit ut Romam videat. Franciscus Perrier († 1650) duo itinera conficit, per quæ in notationibus statuas, marmorea capita, antiqua ornamenta colligit. Le Brun per quatuor annos (1642-1646, Romæ), quidquid ante oculos decurrit, delineat. Carolus Errard, primus Gallicæ Academiæ rector, sedem Romæ, anno 1666, collocat.

Adde italicas picturas in Galliâ comparatas a Gaston d'Orléans, Richelieu, Créqui nostro ad Romanos et posteà ad Venetos legato (1634); præsertimque Bono-

(1) Jam Toussaint Dubreuil († 1607), Primatitii successor, italicus magis quàm Rossus videbatur. — Fréminet (1567-1619), Josepino amicissimus, et strenuus Michelangeli fautor, sedecim annos in Italiâ moratus erat.

niensium συναγωγήν a Ludovico XIV acquisitam, — *unam et centum* tabulas ex Evrardo Jabach, anno 1676, coemptas (80,000 libris) (1), ne 5542 graphidas memorem (2). Hæc fuit pictorum nostrorum schola.

Accedit illud quod Galli ad probandos Italicos maximè proni erant. Ut illi, *idealismum* quemdam in artem afferunt; ex quo intelligo solitò eos naturam videre per intellectûs sui species, quibus quidquid vident expeditur, ordinatur et explanatur. Nonnulli quidem excipiendi sunt, sed plerique apud nos artifices ratione et computatione gubernantur. Intellectus inter rem et oculos intervenit, et sensum depravat aut saltem dirigit. Insuper etiam gallica hæc disciplina ab italicâ differt quod ex cerebro potiùs (ut ità dicam), quàm ex pectore manat. Italicorum *idealismus* poetico quodam instinctu alitur, cujus gratia aut vis ad quamlibet rem visam transfertur. Nos autem intellectu præcipuè laboramus, ordinis tantùm et perspicuitatis studiosi. Strenuis sanè conatibus et multis in Italiâ absolutis annis opus est ut Pussinius « *Pastores Arcadiæ* » exscribat. In hoc viro intellectus movet cor, ratio educit sensus; ars tota ex ideis procedit, puta ex philosophicâ vel ethicâ doctrinâ. Atqui nullâ propriâ dote Pussinius Guidum aut etiam Caraccium superat, nisi cogitationum præstantiâ (3). Quâ quidem Berninum omninò obstupefacit, et, solus inter Gallos, italicum censorem ità exarmat ut

(1) 17 tabulas Caracciorum. 12 Dominicini. 14 Guidi. 13 Albani. 2 Guercini. 3 Caravaggii. 4 Lanfranci. 3 Salvatoris Rosae. — Omitto Venetianos : 8 Pauli Veronensis, 2 Tintoretti, 14 Titiani, 2 Giorgionis, — 5 Raphaelis, *Sanctam Annam* Leonardi da Vinci, etc.

(2) 640 ex scholâ Raphaelis; 448 ex scholis Venetiæ et Lombardiæ; 517 ex scholâ Florentinâ; 653 « de l'escole des Carats et Modernes; » 309 ex scholis Germaniæ et Belgii.

(3) Berninus *Extremam Unctionem* videns, ait « hoc idem esse ac si quis sacram *orationem*, pulchram quidem, attentissimè audiat, et ex eâ egressus nihil loquatur, sed effectum in se, imo corde, sentiat. » (Diar, *Gazette des Beaux-Arts*, XVI, 178.)

flectatur ejus fastidiosa ergà hyperboreos barbaros arrogantia (1). Berninum enim quasi secreto certamine exagitatum deprehendas, quòd illâ ingenii vi, quam negare gestit, invitus movetur et obruitur. Festivum est memorare quâ mente ipse Chantelou tabularum συναγωγάς inviserit. Garrulus iste et inquietus jactator ad silentium redigitur. Paulatim nec sponte, verba ab ore ejus merâ admiratione eliciuntur. Ad ultimum, non jam se continet, nec contumeliam dissimulat quâ, opera sua cum tantis miraculis comparando, afficitur. Hoc visu defixis oculis obsidetur, neque eum Raphael ipse a Pussinio deducere valet. Vespere ad eamdem cogitationem redit; postero die nihil dicit, totus in memoriâ; verba tamen elapsa monstrant curam usque permanere (2).

(1) Nunquam enim locum amittit gentem nostram detrectandi (vide Diar, *passim*, XVI, 171, 175). De quo dolet graviter Colbert, et illum refellere vellet. Quum audit Berninum Pussinio laudes dedisse : « Gratum habeo, ait; saltem aliquid in Galliâ laudavit! » (*Ibid.*, XVI, 373.)

(2) Stans ante *Septem Sacramenta* : « Veramente quel' uomo è stato un grande istoriatore e grande favoleggiatore. » — Ante *Bacchanalia* : « O il grande favoleggiatore ! » — Ante *Confirmationem* : « Ha imitato il colorito di Rafaelle in quel quadro ; è un bel istoriare. Che divozione! Che silenzio! Che bellezza a quella putta! » — Procumbit genu ante *Extremam Unctionem*, mutans aliquando cristalla, et admirationem suam silentio exprimens. — Item ante *Baptisma* : exsurgit, genu flectit, sedet. Tandem ait : « Voi m'avete dato oggi un grandissimo disgusto, mostrandomi la virtù d'un uomo che mi fa conoscere che *non so niente.* » — Illi parvulam Raphaelis tabulam monstrant; sed ad Extremam Unctionem manet conversus : « Io stimo questi quadri come se fussere di qual si voglia pittore che sia stato al mondo. » — Inter Raphaelem et Pussinium, utrum eligat nescit : « Semper laudavi Pussinium Dominum, et memini Guidum erga me irasci quod illius tabulam quæ est in San Pietro, scilicet S[ti] *Erasmi Martyrium*, nimium ad ejus mentem, prædicaverim, dicendo ad Urbanum VIII : « Se io fossi pittore, quel quadro mi daria gran mortificazione. » « Ille summum habet ingenium, et insuper præcipuum de antiquitate studium duxit. » — Vespere, quum deambularet Berninus, in medio colloquio surgit et abruptè ad Chantelou dicit : « Non mi posso levar del pensamento questi suoi quadri. » (Diar, *Gaz. des Beaux-Arts*, XVI, 178, 179.)

Aliâ die, subito ait : « Pauca sunt, quocùmque eas, Pussinii operibus æqualia. Plura invenio in unâ ejus tabularum figurâ notanda, quàm in magnis συναγωγαῖς. Vir ille in omni re altus est, et fecundissimi ingenii. In illo linea simul et color valet. Titianum optimè quondam imitatus est,

Pussinius enim perfectam intellectûs speciem in se exhibet quam ætas illa concipit. Sana et quieta perspicuæ rationis magnitudo, viro innata, Italicis XVII[i] sæculi artificibus exemplar offert artis illius quam frustrà affectant (1).

Verùm accidit ut istis impar videatur, si ad externas artificis dotes attendas : oculi ejus et manus subtilitate carent (2); pectus neque ardens neque ingenuum est; mediocris fingendi vis. Faciliùs ideas quàm formas creat; has sæpissimè (ut vidimus), a veteribus aut a Raphaele mutuatur. Non satis naturæ confidit; quod vitium Italicorum exemplo adhùc in dies augetur. Pejus etiam se res habebit, quum ad pictores veniemus quibus deerit dignitas illa mentis et gravis sinceritas quo Pussinius eminet.

Sanè quidem majora commoda et incrementa e Belgarum commercio Gallia duceret, quòd ab illis solis exspectanda est naturæ temperatio quâ egemus. Illi enim vitæ et veritatis animam integram servant, et in artem,

et posteà Raphaelem. Nemo meliùs antiquitatem in usum suum vertit, neque homines antiquo modo callidiùs vestit. Illius tabulas æquales cum optimis, quos videre est, facio. » (*Ibid.*, XXVI, 367.)

Pussinius, dùm ità loquitur Berninus, adhùc vivit. Secunda Bernini ad Chantelou epistola, post reditum in Italiam, nuntiat mortem Pussinii. « Ho trovo monsù Pussino morto. » (8 déc. 1665, Romæ. — *Ibid.*, XXXII, 180.)

(1) Ubi cor rationi posthabet, italicus artifex quod habet in se optimum, amittit. Cum ideis puris ægrè versatur : turbatur statim ejus visus, quum a naturâ discedit. Longe aliter se Gallus habet, intellectu et ratione præstans. Neque Guido, neque Caraccio inest lucida et alta Pussinii intelligentia, nec ratio, ad artis usum accommodata, quæ res sæpiùs torquet, verùm cohibet et ad certas ideas ducit. Isti autem in vacuo errant. — Mirum est, exempli gratiâ, videre quomodo Berninus adversùs strenuum Colberti judicium luctetur. Ille perspicaci mentis acie grandia et incerta Italici somnia ad nihilum redigit. (*Ibid.*, XXXI, 280, 281, 287; XXXII, 184.)

(2) Quod intelligentes, ut sodalis ille Chantelou, planiùs etiam quàm Berninus sentiunt.

Ait Berninus : « Il signor Poussin è un pittore che lavora di là, » ostendens frontem. — « Ei dixi opera sua ex capite orta esse, quòd semper malas manus habuit. » (*Ibid.*, XVII, 354.)

cogitatione exhaustam, immittere queunt. Apud illos, in illorum factione, inter artifices qui illorum auctoritatem maximè receperunt et simul Italiæ exemplo opposuerunt, eo tempore quærendi sunt vivacissimi Galliæ pictores : Bosse (1602-1676), Callot (1592-1635), Gellée (1602-1682), qui quidem vitam ferè totam in Italiâ absolvit, sed illìc Germanorum aut Belgarum ductu institutus est (scilicet fratris ejus, lignarii scalptoris, Friburgensis in Brisgau, necnon Geoffroy Walls, Coloniensis, et Augustini Tassi, quem Paulus Bril discipulum priùs habuerat) ; duo Beaubrun († 1677, † 1692), et tres Le Nain (Ludovicus, Antonius et Matthæus, † 1648, † 1677); Philippus de Champaigne (1602-1674), Bruxelloduni natus; — quibus, sine dubio, addendus est Le Sueur (1616-1655), qui « Romam nunquàm ire voluit » (Guillet de Saint-Georges). — In variis oppidulis, Laon, Saint-Quentin, Noyon, formantur artificum circuli, qui sequestrium partes inter Lutetiam et Bruxellodunum tenent (1). Lutetiæ instituitur vera Belgarum colonia (2), quorum nonnulli (Philippus de Champaigne, Van Opstal, Van Mol, Wleughels) a principio in « Academiam picturæ et sculpturæ » sedem ceperunt.

Infeliciter illa Belgarum auctoritas minùs quàm Italicorum apud nos valet. Pussinius ipse Gallos reprehendit quod Italiæ nimis studiosi sint. Duo illa opposita ingenia videre est usque apud Academiam picturæ certantia, in contrariis Le Brun et Philippi de Champaigne disputationibus, in quibus Le Brun speciosam « nobilita-

(1) Vide in copioso Lemonnier studio (*L'Art français au temps de Richelieu et de Mazarin*, 1893, p. 73 et seq.), quomodo ars Belgica in Galliam quasi secretò exsudaverit.

(2) *Ibid.* « Nationes belgica, germanica, helvetica, etc. » societatem ineunt quæ, anno 1630, in S° Germano de Pratis locum eligit. In indice apparitorum, reperiuntur plures artifices. Huic sine dubio « collegium magistrorum pictorum Parisiensium » quodam commercio jungitur.

tem » et falsam « magnitudinem », probante cœtu, prædicat (1).

Gallicus *idealismus* ingenitam Pussinio animi magnitudinem requirebat : quæ autem quum unica esset, nec spes ulla maneret, sub tali Academiarum dominatu, Pussinium alterum natum iri, disciplina in ruinam continuò præcipitavit (2).

*
* *

Verùm ut Gallia in Belgio adminiculum quoddam adversùs Italiæ auctoritatem invenire posset, oportebat ut ipsum Belgium sibi non deesset. A primis autem XVI^mi^ sæculi annis, illud quoque sese ad Renascentis

(1) *Conférences*, p. 91. — V. Lemonnier (p. 352, 353). — Philippus, ob tabulam : *Eliezer et Rebecca*, Pussinium arguit de « aliquâ sterilitate, de servili antiquitatis studio », « quòd nimias res a veteribus mutuatus esset, ferè usque ad prædationem. » Pussinium reprehendit quòd in opere suo actiones familiares et corpoream veritatem neglexisset, undè tabula majorem vitam duxisset, — exempli gratiâ, camelorum imagines. — Le Brun superbè respondet « Pussinium, strenuo pulchritudinis sensu et unitatis curâ, res novas et inutiles rejecisse, quibus spectantis oculi diverti possint, et mens nugis morari. » In aliâ disputatione (1682), « vilissimas res » « nobilissimis » opponit.

(2) In eodem Lemonnier libro invenies, optimè expositum, certamen illud inter « collegia magistrorum » quæ civile et gentile ingenium exprimunt, et aulicum ingenium a quo instituitur Academia picturæ, anno 1648. Post fallaces gratias primùm istis collegiis concessas, anno 1655, Academiæ datur ultima institutio, ad mentem optimatium concepta.

Inter « magistrorum » defensores, memorandi sunt Sarrazin, Le Brun ipse in principio, Testelin, Vouet, Mignard, Dufresnoy, Anguier, Le Sueur, et fratres Le Nain collegiorum primùm socii fuêre. — Cum Academiâ instituta est doctrinæ unitas, et quædam artis professio, quæ itinerum et rerum disciplinam, nuper Pussinio et Claudio Lorrain satis aptam, abolet, et artem ad præcepta reducit. — Eodem tempore clauduntur oppidanæ scholæ, in quarum locum succedunt scholæ ex Academiâ ortæ.

Eâdem mente regebantur litteræ (Academia Gallica, 1637), saltatio (1661, Regia Academia saltationis), musica (1672, Academia musicæ), spectacula (1674, Academia regia, equitum, certaminum, luctationum, etc.). — Sic artifex a turbâ segregatus, a vitâ amotus, in vanâ circulorum et academicorum colloquiorum specie includebatur (Lemonnier, part. II, c. I, II, III).

antiquitatis fluctum dederat. Quod, quum Italiæ quondam præcepta, forsan etiam exemplaria dedisset, et, servato contrà illam proprio ingenio, admirationem Italicorum intelligentium extorsisset (1), tandem suâ vice, alienis illecebris captum, artem suam eodem contemptu, quo Michelangelus, abdicaverat.

Jamdudùm Belgici artifices Italiam noverant. Ab anno 1450, Rogerius van der Weyden eam quasi religioso itinere lustraverat; et ratio illius, commercio et exemplo Gentilis da Fabriano († 1450), Orcagnæ, et priorum naturæ imitatorum florentinorum, mollior et simul amplior fieri visa erat (2).

(1) V. Mediceanam συναγωγήν. « *S. Hieronymus* » Joannis van Eyck (memoratus a Vasario, I, 163), 40 ducatis æstimatur, dùm Giotti et Fratris Angelici tabulæ ad 10 accedunt. Item « *Madonna* » Petri Cristi. — Joannes Santi, in Chronicis (*Cronica rimata*) de Joanne de Bruges, et Rogeri van der Weyden loquitur, tanquam « magistris tam strenuis, ut sæpe colorum decore naturam ipsam superaverint » (ante 1482). — Urbini floret Justus de Gand, sub principatu Frederici de Montefeltro (circa annos 1465-1475), et anno 1474, « *Communionem apostolorum,* » ibi depingit. Hujus plura opera sine dubio exscripsit Raphael in *libro adumbrationum* (effigies philosophorum). Fredericus etiam tabulam Joannis van Eyck (*Balneum mulierum*) possidet, quam Fazio (*De virsi illustribus*, 1745, p. 42), velut miraculum artis laudat. — Joannis van Eyck disciplina in Regnum Neapolitanum inducitur, regnante Renato d'Anjou. V. ejus auctoritatem apud Solarium (1450), Simonem Papam (1430-1481), Antoniellum de Messinâ (1470). Vide Palermi tabulam dictam Joannis van Eyck. — Quæ fuerit ejus auctoritas apud Venetos, Bellinios, etc. Dominicus Grimani, cardinalis venetianus, maximo ardore, post codices manuscriptos et antiqua signa, requirit Belgarum picturas. V. Palatii San Marco συναγωγήν: Breviario Grimani, tabulas J. Memling, J. Bosch, Gerardi de Bataviâ, Alberti Dureris, et Jacobi de' Barbari, ejus magistri. — Bembus Patavii tenebat dypticum J. Memling: « *Virginem et Jesum infantem, cum S^to J. Baptistâ* (Anon. de Morelli). » — Joannes Ruysch, Belgicus, picturas in Stanze, annis 1508-1509, conficit. — Usque ad finem XVI^i sæculi, auctoritas Belgarum apud Italos exstat. — Vasarius scribit ad Varchium « che ogni ciabattino (sutor) si vede avere in casa tele fiamminghe per la prospettiva dè paesi e colorito vago di quelli. » (t. VIII, 293.) — Fredericus Zuccherius Holbenium Raphaeli anteponit (Van Mander, *Livre des peintres*, Hymans, I, 220), etc...
Nihil dico de Alberto Durer quem Aretinus, Cellinius, Vasarius, Veronensis, Sabba da Castiglione certatim laudant, aut pro exemplo habent.

(2) Rogerius van der Weyden existimabat Gentilem præstantissimum

Sed primis XVI[mi] sæculi annis cæpit universa migratio. Cui Joannes Gossaert (Mabuse) (1470-1532) signum dat, anno 1508, et decem annos in Italiâ continuat. — Bernardus van Orley (1490-1542) fit Raphaelis discipulus, et conficienda textilia Bruxelloduni curat. Lambertus Lombard (Susterman) (1505-1560) in Italiâ usque ad annum 1540 moratur. Petrus Coucke d'Alost (1502-1550) Italiam et Constantinopolim visit. Michel Coxie (1499-1592) diù Romæ vivit et Raphaelem continuò imitatur. Frans Floris (1518-1570) Italiam petit ad videndum « *Supremi Judicii* » dedicationem (1541), et ad imitandum Michelangelum obstinatè innititur. Martinus de Vos (1532-1603) arud Tintorettum studet. Fratres Francken († 1610. † 1618), Bartholomæus Sprenger, Van Mander, eamdem rationem sequuntur. — Petrus de Witte (Pietro Candido) (1548-1628) scholam Vasarii Florentiæ, Otho van Veen (1558-1629) Zuccheri Romæ sequitur, et fit Alexandri Farnesii architectus (1585). Franciscus Pourbus junior (1569-1622), Mantuæ ab anno 1600 ad 1609 moratur (1).

Priores, ut Gossaert et Van Orley, nonnullas genti proprias dotes, præsertim colorem, adhuc servant; sed in frigido Coxie, dicto « Raphaele belgico, » aut in Flori « l'Incomparabile, » « Michelangelo belgico, » nihil jam e singulari ingenio remanet. Picturæ ornatio, per-

esse Italiæ pictorem. Illum quidem ab ornatione (nunc deletâ) S[ti] Joannis in Laterano judicabat; et admiratio ejus aucta esse videtur memoriâ Magni Jubilæi (1450) et feriarum splendore.

Ceterùm deprehenditur cognatio quædam inter argumenta a Gentili et Rogerio tractata : Adoratio Magorum, Supremum Judicium, etc.

(1) Ad hanc *italianizantium* series, adde : genus Backereel (Anvers), numerosissimum Romæ; Michel Jonquoy, Romæ; Arnould Mytens, Joannem Francken, Neapoli; Lucam Cornelium, Guillelmum Bordes, Ferrariæ; Joannem van der Straeten (Strada) apud Mediceos; Paulum Franchoys (Franceschi), consortem operum cum Tintoretto, etc.

V. Müntz, *Hist. de l'Art pendant la Renaissance*, III, 167, note 3.

sonæ, vestes romanæ sunt; color jejunus, docta graphice, jactantiores habitus (1).

Belgici artifices italianam indolem omninò induunt. Lambertum Lombard, Lucam de Heere (1534-1584), Petrum Coucke d'Alost invenias antiquitatis amatores, nomismatum intelligentes, litteratos, in omni studiorum genere versatos.

Ad ultimum, magistrorum rationem ità mutuantur, ut illos detrudant, quò meliùs imitentur. Justus Suttermans (1597-1681) Pourbi discipulus, proprii pictoris partes apud Cosmum II, Ferdinandum II et Cosmum III Mediceos agit. — Aliquando etiam Belgæ renascentes Italiæ partes in alias Europæ regiones inferunt, ut Leonardus Thiry (1500-1550), socius operum cum Rosso et Primatitio, in ædibus Fontainebleau, aut Petrus de Kempeneer (Pedro Campana) (1503-1580), qui Michelangeli disciplinam in Hispaniam transportat (V. Sevillæ celeberrimam ejus tabulam : *Christum e cruce demissum*). Quodque mirabilius videbitur, in ipsâ Italiâ, Belga, Denis Calvaert (1540-1619), primus exstat Bononiensium XVII° sæculo magister, scilicet Guidi, Albani, Dominicini.

Crederes singulare gentis ingenium tali ratione prorsùs obsoletum esse; illud autem, sub alieno habitu et simulatâ formâ, continuò vivit; sibi enim provincias quasdam reservat in quibus vim suam et probitatem congerit. Ipsi, viventium simulacra effingere assueti, in intimo naturæ commercio permanent, et hoc studio in-

(1) Illi artifices sic inter se generantur :

Ex alterâ parte, Jo. Gossaert : magister Joannis Schoorel, qui Italiæ studium in Bataviam affert, et Lamberti Lombard, qui magister fuit Franci Floris, cujus schola plus quàm centum et viginti discipulos collegit, inter quos : fratres Francken, Martinum de Vos, Lucam de Heere, Franc. Pourbus, quem magistrum sequitur Suttermans.

Ex alterâ : Bernard von Orley, magister Michelis Coxie et Petr, Coucke d'Alost, quem magistrum sequitur Brueghel.

genuam sensûs libertatem protegunt. Præcipuè romanæ disciplinæ fautores rursùs belgæ fiunt, ut imagines ex vivo ducant (Martinus de Vos, Petrus de Witte, Suttermans); nec Petrus Pourbus senior (1510-1583) sinit se latinorum auctoritate præstringi (1). — In conspectum naturæ admissi, illi deficere nequeunt artifices, e Septentrionalibus regionibus orti, quocumque italicorum operum amore ardent. Paulus Bril (1556-1626), collocatâ in Italiâ sede suâ, genus quidem novum, ut sæpiùs dictum est, non creat, sed in Titiani et Sarti rura, nescio quams eptentrionalem poesim immittit (2). — Tandem, in rerum familiarium imitatione, Belgæ idem pertinax veritatis studium affirmant. Petrus Brueghel Senior, dictus « Ganeo » (1526-1569), nequidquam in scholâ Petri Coucke versatur, et, cæterorum instar, italicum iter perficit : robusta ejus alacritas academicis mendaciis non læditur (3).

Sic in concinnatis tantùm argumentis concinnatum ingenium Belgæ exhibent; (inter quæ fateor annumeranda esse non solùm fabulosa et figurata argumenta, id est ἀλληγορίας, sed etiam religiosa). Primùm illi, Germani imperii sub Carolo Quinto communi et quasi mundanâ universitate, simulque sagaciore doctrinarum negligentiâ quæ in imperio vigebat, ad auctoritatem Italiæ prorsùs tradebantur. Verùm, magnâ civitatis et religionis mutatione, anno 1572 absolutâ, et novis Belgii institutis, gens expergefacta est. Eodem tempore animi sui conscia fit, et libertatis suæ tutrix. Semotis etiam Batavis faciliùs increscit ejus ingenium. Sub gentili et populari administratione, Belgium maximo ardore vivere cœpit : in ferias, scenicos ludos et spectacula, quæ alimentum fer-

(1) Ad eamdem rationem referendi sunt Josse van Cleve, Geldorp, Neuchatel, Adrian Key, Jo. Vermeyen, Conquet, Marcus Geerarts.
(2) Id. Gilles van Coninxloo, Bles, Gassel.
(3) Id. Valkenborg, Beuckelaer.

vido ejus agendi studio præbent, vehementer irruit. Impetu illo, nec aliâ ratione, differt Belgica illius ætatis ars ab italicâ. Aliter, si interiora tuemur, eadem inest, ex eâ parte, mentis inanitas, nec major fides in tractandis argumentis, nec (quod mirum est), major veritatis cultus, forsan etiam minor. Nam si Caraccios cum Vænii scholâ comparabis, isti fideles ferè naturæ fautores videbuntur. Ut sæpiùs peregrinis imitatoribus accidit, Belgæ viginti aut triginta annos ab ætate suâ retardantur. Sic Petrus Rubens circà Baroccium et Venetianos constitit, neque ad Bononienses attendit (1).

Undè igitur isti omnes salutem ducunt? Scilicet ex ardenti vitæ amore quo, deficiente naturæ studio, eriguntur, invehuntur et efferuntur. Indè sæpiùs obscurantur illorum oculi; sed exactum rerum et formarum adspectum impunè negligere queunt, quippè qui fecundam ingenii flammam in se gerant. Naturæ magis quàm veritatis amantes sunt, fervidiore sensu et ditiore sanguine præditi quàm ut vitæ spectaculum fideliter reddant. Viventium autem omnium consortes alacri voluntate fiunt, magnâ illâ vi perculsi quæ orbis vortices torquet.

Rubens, ab Italicis educatus, eorum disciplinam exæstuante suo sensu transformat. Frustrà octo annos in Italiâ absolvit (2), Titianum, Michelangelum, Cara-

(1) Animadverte ampliùs nonnullos nec minores belgicæ disciplinæ, XVII° sæculo, ex stirpe batavâ ortos esse (Ex. grat. magister in arte ora humana imitandi, Petrus Pourbus senior, sine dubio Goudæ, in Bataviâ, natus), et partem illam septentrionalem regionis, a Belgio rerum publicarum mutatione separatam fuisse.

Vice versâ, ferox et nitidus ille Franciscus Hals, in Bataviâ peregrinus, Malinæ in Belgio natus est, anno 1584.

(2) Rubens in Italiam 9 maii anni 1600 proficiscitur; Venetiam et Mantuam invisit. Circà quintilem 1601, *primùm Romæ* moratur (tres tabulas conficit, ad S. Crucem di Jerusalem). In martio 1603, per Hispaniam peregrinatur. Ducis Vincentii I de Gonzaga, 24 maio 1604, pictor eligitur. Anno 1605, quasdam Corregii tabulas ad imperatorem Rodolphum II imitatur. — Anno 1606, *iterùm Romam* petit. (V. tabulam in arâ principe

vaggium, Baroccium aut Corregium imitando : ipsæ illius imitationes robur singulare testantur. Ad inspicienda exemplaria non servilem, Ludovici Caraccii more, venerationem adhibet, sed violentam admirationem, vehementibus vocibus expressam, quâ plerùmque cogitur ut alienum opus explicet ac mutet. Quidquid tractat, notâ suâ jam signat. Si Michelangelum aggreditur, sublimes quidem illius cogitationes a mentis culminibus paululùm deducit; sed eas terrâ solidiùs fulcit, rei veritatem strictiùs complectens, et formas in actionem et vitam immittens (1). Si Leonardum, proprium ardentis animi sui studium subtili exemplaris observationi adjungit (2). In illo, omnia ad actionem coeunt; quidquid tangit, drama est. Impetus animi omnimodo erumpit : tùm miserabiliter (V. « *Christum e cruce demissum* »), tùm splendidè (V. « *Piscatum portentosum* »), tùm hilarè (« *Kermesse* »), semper autem effusè, adeò ut magnificum fulgorem et ovantem lætitiam usque in « *Elevationem crucis* » aut in « *Calvarii ascensum* » afferat. — « Illius graphides non sinceræ sunt, ait Delacroix (3); in eis se ipsum magis quàm exemplum, oculis subjectum, exhibet : ea tamen est intima vis, is impetus talibus viris innatus, ut singularis eorum sensus omninò dominetur et spectantem rapiat.

Sanctæ Mariæ in Valicella). — Quintili et sextili mensibus 1607, Genuam visit, atque ibi graphidas ædium effingit (frontem, speciem, secturas, orthographiam, etc. — 139 adumbrationes editas apud Meursium. Antwerpiæ, 1622). Eodem anno, jussis operibus ad Mantuam cumulatur; emit tabulam Caravaggii ad ducem Vincentium. — Anno 1608, *tertiò Romæ* moratur. Ob matris suæ morbum revocatus, discedit 20 octob., equo sedens, et Antwerpiam petit eo animo ut in Italiâ seriùs rediret. Sed 20 sept. 1609, archidux Albertus et regni hæres Isabella illum in Belgio proprium eorum pictorem nominatum, detinent. — In octobri, uxorem ducit, et quamvis sæpius revisendæ Italiæ cupidinem exprimat, nunquàm in eam redit.

(1) V. octo splendidas graphidas, nigro et miniato effictas. (Louvre.)

(2) V. *Pugnam ap. Anghiari*. (Louvre.)

(3) *Diarium*, II, 280.

Figuræ ejus, primo adspectu, non minùs quàm Caracciorum, vulgares videntur (1), sed quantò magis significantes! » In Annibalis descriptionibus, nihil aliud inest nisi exemplar quod elegit (2); in Rubentis operibus, inest Rubentis animus. Effunditur ille mirabili luxuriâ et quâdam voluptariâ ebrietate in quâ interdùm mens ipsa demergitur (3). — Notandum est duas celeberrimas illius tabulas, (quæ quidem fortè non omnium pulcherrimæ sunt, nec significantissimæ), uno tantum anno post reditum ab Italiâ confectas esse, scilicet quo tempore ipse frigidâ Caracciorum ratione nimiam libidinem suam temperabat. Ceterùm patet illum Italiæ multa debere : videlicet artis quasdam rationes Caravaggio proprias, Baroccii vitreas colorum claritates, epicum Michelangeli impetum, Pauli Veronensis lætitiam vitæ, et Romanorum etiam perfectam compositionis dignitatem : ità ut, si quis Venetiam, e Belgio modò regressus, primùm appellit, inter tot magnos pictores, maximum Venetorum absentem Rubentem, inconsulto motu perquirat.

Sic Italia plurimùm ad perficiendum Rubentis ingenium confert, et causis ipsis, quibus illa in pejus præcipitat, exsurgit aurea Belgii ætas. Verùm, ut talia exempla prodessent, opus erat formidabilis illa vitæ aviditas et voluptaria vis, lætitiæ et amoris libido illa, viventium omnium animas in se absumens et coquens (4), — quæ in Antonio van Dyck (5) 1500 pic-

(1) Fatemur etiam vulgariores esse.

(2) « Le modèle tire tout à lui, et il ne reste plus rien du peintre. » (Delacroix, II, 239.)

(3) « Son tableau ressemble à une assemblée où tout le monde parle à la fois. » (*Id.*, II, 239.)

(4) Satis sint paucæ notatiunculæ : Belgii, Italiæ renascentis, Hispaniæ ingenia; vita aulica, publica, privata; violentæ et quasi scenicæ libidines; feriæ, spectacula, lætitia popularis; morum elegantia simul et feritas; corporei impetus et mystici affectus (Ex. grat. S[ti] *Francisci Communio*), etc.

(5) Antonius van Dyck in Italiâ, a 1621 ad 1625 moratur. Duos annos Genuæ absolvit, Titiano et Tintoretto præsertim studens.

turis erumpit, — in Rubente, 2200 tabulis, neque adhùc sedatur (1), superfluens et febris expers, nunquàm expleta, nunquàm lassata, — qualem demùm, Bruxelloduni, in mirabili « *Fecunditatis triumpho* » Jordaens expressit.

*
* *

In Batavis quidem non invenire est illud naturæ simul et humani animi studium, (ne dicam *idealismum naturæ curiosum*), quo Belgium XVII[i] sæculi factum est altera quædam Italia, corporeis affectibus et sensuum luxuriæ dedita. — Batavus nodos omnes rupit quibus Imperio primùm, et indè renascentium litterarum universitati extrà proprios gentium fines religabatur. In terrâ suâ recessit, quæ nulli alii similis videtur, sed ejus ipsius est, propria et singularis, quamque ille non iisdem oculis inspicit ac Belga aut Italicus suam. — Indolis sincerae, rectæ et certæ, ad id tantùm attendit quod videt aut facit, ad oves suas, ad pascua, canales, propinas, mercatorum collegia, indigentes, semper verò eâdem gravitate, mirabiliter altâ et placidâ. Hìc sedatior est sanguis, clariores oculi, sine ullâ factionis curâ, ad observandum et meditandum, ruminantium more, apti. Ille est verus veritatis amor, italicæ disciplinæ absolutè contrarius.

Italia tamen usque ad Bataviam XVI[o] sæculo, ante discidium ejus e Belgio, auctoritatem suam profert. Il-

(1) Rubens architectus est, sculptor, scalptor (tituli, librorum inscriptiones, graphides), nomismatum amator (συναγωγάς colligit), eruditus (scientiarum progressus sequitur; de microscopio disquisitiones instituit), textilium conficiendorum rector, feriarum ordinator. Septem variis sermonibus utitur (belgico, latino, italico, gallico, britannico, germanico, hispanico; — italicum aliis præfert). In consilio privato a secretis est, et Eques. Scholam numerosam dirigit (centum discipulos anno 1611 rejicit). Legatus mittitur (1628 ad aulam Philippi IV, 1629 ad Carolum I), — ne innumeras epistolas memorem, voluptates, itinera, etc.

lius præcepta et rationes adportant viatores. Sed nihil est quod batava ars a peregrinis metuat, utpote quæ nimium a cæteris differt, nimiumque in tardo suo judicio obstinatur (1). Accidet fortè ut corrumpantur nonnulli; plerisque autem satis erit fructum ex commodis italico labore partis capere, nec proprium ingenium periclitari.

Inter primos memorandus est Joannes Swart, Groningensis (anno 1469 natus), qui Venetiæ demoratur, Bellinio et Giorgioni studet, operibus suis subscribit « Giovanni de Frisia, » et scholam Goudæ instituit. — Joannes Schoorl, Harlemensis (1495-1562), Belgæ Joannis Gossaert, romanis studiis deditissimi, discipulus, longa itinera Venetiam, in Terram Sanctam, et posteà Romam conficit; ibi Raphaelem et Michelangelum imitatur, etiamque, sub batavi Papae Adriani VI principatu, fit Belvederii custos; tandem in urbem suam (Utrecht) regressus, pictoris officinam simul et scholam italicorum studiorum aperit, in quâ discipuli eruditionis jactantiâ magistrum superant, qui saltem singularem indolem suam servare valuerat.

Ex quibus celeberrimus, Maarten van Heemskerck (1498-1574), dictus « Bataviæ Michelangelus, » summum artificem re ipsâ imitatus est, quum in Italiam peregrinaretur, sed sine judicio et sine modo. Parùm aptus ad intelligendas viri ideas, nihil aliud e Sixtinâ refert nisi contortos habitus et turbatos gestus, sensûs et cogitationis pariter expertes.

Post illum, Cornelis van Haarlem (anno 1562 natus), id tantùm conari videtur ut difficultates in operibus suis accumulet, et sine fine aut ratione, devincat. — Heindrick Goltsius (1558-1617) inter Durerum et Mi-

(1) Religio quoque Bataviæ, vindicandæ libertatis certaminibus concitata, illam ab italicâ humanitate (ne dicam *paganismum*) tuetur.

chelangelum jactatur. Joannes Vredeman de Vries (anno 1527 natus), architectus et pictor, Vitruvio et Serlio studet. Abraham Bloemaert (1565-1647) μυθολογίας ἀλληγορίας componit, et Gerard Honthorst (Gherardo della notte) (1592-1662), umbras luminibus, Caravaggii more, opponit. Petrus Lastman (anno 1562 natus) Romam, anno 1604, iter facit (1).

In mediâ autem italicâ factione, Antonius de Moor (1512-1581), præceptorum Jo. de Schoorl et itinerum oblitus, ingenii sui fortitudinem et gravitatem integram servat; et in Lastmani scholâ Rembrandt instituitur.

Italica igitur auctoritas batavis artibus vires novas addit, nedùm eas ad debilitatem et exitium detrahat : hujus operâ enim strenui illi coloris amatores severam delineandi artem discunt; exacti illi veritatis fautores dignitatem operum suspicantur. Decora formarum scientia, ab Italicis accepta, tanquàm solida basis exstat quâ Rembrandt somnia sua, Van der Helst naturas suas instruit.

Nullus inter septentrionales artifices tantùm nudæ naturæ studuit quantùm Rembrandt : italicâ perfectione non modò ab illâ non removetur, sed contrà ad illam

(1) Italicæ disciplinæ progressus per XVII^m sæculum pergit, præsertim in ruris picturâ. Paulatim vanescit proprium genti ingenium.

Fratres Both, discipuli Abrahami Bloemaert, Claudii Gellée auctoritatem in Italiâ sequuntur. — Weenix (1618-1660) plures annos Romæ conficit. — Joannes Asselyn (1610-1660) in Italiâ ab anno 1630 ad 1645 moratur. — Berchem (1620-1683), solertissimus inter Italiae fautores, Karel du Jardin (1625-1678), Venetiæ mortuus, Thomas Wyck (1616-1696) meridianorum portuum pictor, Italiam lustrant. — Omnes illi pictores, ac præsertim priores, singulari et poetico luminis et umbræ sensu eminent.

Ex tribus van der Does, pater solus Italiam videt; duo alii illam ex præceptis traditis pingunt. Non majore religione præditus, Fredericus de Moucheron (1633-1686) Italiam Amstelodami effingit, et ipsum diceres Bataviam Romæ effingere. — Denique Bartholomæus Breemberg (il Bartholomè) (anno 1600 natus), meridianas plagas invisit, nec vidisse videtur; ex quibus studium quoddam ornationis comparat. Sedem suam in Galliâ statuit.

revocatur. Oris ductus a se ipso indefessâ pertinaciâ observat. Cum medicis et cujuslibet religionis sacerdotibus assiduò versatur quò meliùs hominis corpus et animam cognoscat (1). Potentissima illius fingendi facultas observatione omninò eget. « Dicit uni naturæ parendum esse, nec ullis regulis. » Ideòque inutile judicat consuetum et quasi scholasticum iter in Italiam. Nemo constantiùs domi sedet. « In ipsâ patriâ tuâ tot et tam pulchras res invenies ut vita tua brevior esset, si illas omnes intelligere et exprimere velles. Italia quascumque divitias offert, tibi non proderit, nisi primùm is eris qui subjectam oculis tuis naturam reddere valeas (2). » Ab imitandi studio protegitur altâ et poeticâ voluntatis inclinatione quâ ad omnia circumjacentia attendit, simul et mirâ laboris probitate, quâ simpliciora semper viâ et ratione aggreditur priusquàm ad implicatiora veniat, neque aliquid unquàm periculo tradit quin de omnibus antepositis certus factus sit. Per totam vitam suam, a singularibus ad generalia, et a generalibus ad universa progreditur. Quò magis ad senectutem inclinat, eò amplior, lentâ et firmâ disciplinâ, evadit illius intellectus. Ad delineandum non minùs severo judicio quàm Leonardus et Pussinius utitur.

Ceterùm auxilia magnorum præteriti temporis ingeniorum minimè renuit; eorum contrà opera eruditâ curiositate inspicit et, quantùm potest, colligit. Inter quæ, anno 1656, notamus duas tabulas ex Annibale Caraccio imitatas, faciem quamdam et Virginem Raphaelis, magnum librum imaginum ex Raphaele scalptarum, puerum a Michelangelo, cum volumine totum illius opus

(1) Librum unum legit, scilicet Scripturas Sacras; ibique altum et grandem humanæ naturæ visum excipit, qui exiguis argumentis nescio quam miram et quasi divinam vim addit.

(2) V. *Librum de Picturâ*, a Samuele van Hoogstraten, Rembrandi discipulo. (Scribit Hoogstraten ad usum fratris sui, qui Romam ire volebat.)

continente; Mantiniæ et Titiani exscalpta opera; « *Librum proportionum* » a Durero; senis cujusdam caput a van Eyck; plures tabulas Palmæ senioris, Bassani, Giorgionis, Belgarum et Batavorum (Brouwer, Lievensz, Seghers, etc.); alias scalpturas (Lucas de Leyde, Cranach, Holbein, Schoengauer, Callot, Brueghel, et secundùm Rubentis et Jordaentis tabulas); ne gypseas antiquorum signorum effigies memorem, scilicet Laocoontis et sexdecim imperatorum. Italiam igitur novit, illudque præsertim novit quod illa optimum habet, scilicet graphicen. Ipse manum suam præstantissima opera exscribendo format. Delineat Mantiniæ « *Calumniam*, » et duas Raphaelis tabulas, (ex quibus Balthazaris Castiglione effigiem). Leonardi *Cenæ* duas adumbrationes conficit, ejusque abditam symmetriam perquirit. Sed virorum illorum species proprias aut singulare judicium mutuari nequaquam in animo habet : adeò ejus memoria certis et veris rerum imaginibus expleta est. Ab Italicis communia tantùm præcepta requirit quæ ad opera sua adhibere queat. In eorum commercio, nunquàm falsæ nobilitatis vitio afficitur. « Bonum artis genus consistit in eligendis et ordinandis rebus quæ, in opere, optimè inter se congruunt, » ait Hoogstraten, ejus discipulus. — Ceterùm quot et quanta momenta Rembrandi ingenium sollicitant! Illi quidem, Italiam versùs, fenestrula tantùm aperta est; sed, Leibnitii monadis similis, in isto exiguo Bataviæ angulo, orbem universum reflectit. Illius ingenium per aperta spatia vagatur, sequens omnes lucis repercussus, tùm in armorum eminentibus, tùm in pellium nitore, tùm in versicoloribus avium pennis, in Venetianis vitreis, in vestibus, in ferramentis, in picturis Orientis plagas referentibus, in Persicis et Indicis effigiebus, quæ passim in ejus cubiculo accumulantur. Sic in solitudine suâ totius mundi redditas imagines excipit, neque tamen

amittit proprium sensum suum, sed contrà ad agendum tantò magis concitatur. Singularis enim illa libertas pertinaci labore alitur : usque ad vitæ finem, et curâ semper novâ, Rembrandus observat ac delineat. Quod quidem indefessum studium discipulis suis præcipuè incutit, semotos illos et in scholæ Amstelodamensis cellulâ inclusos, ad inspiciendam et excutiendam naturam cogens (1). (Houbraken) Quamobrem, dum Raphaelis aut Michelangeli factio strictâ cognatione colligatur, Rembrandi discipuli omnes a magistro et inter se differunt (Bol, Maas, Dov, Flinck, Fabricius, Koning, van den Eeckhout). — Rembrandt demùm septentrionalis ingenii, juxtà propriam naturam et procul ab omni colluvie adulti, speciem perfectissimam exhibet, simulque absolutum exemplum singularis indolis, per se ipsam omninò existentis, neque ullam suî partem ad quamlibet alienam vim concedentis (2).

Verùm infeliciter accidit ut, mortuo illo, ars batava

(1) Cf. Leonardi et Mediolanensis scholæ præcepta :

« Il pittore ovvero disegnatore dev'essere *solitario*, e massime quando è intento alle speculazioni e considerazioni... E se tu sarai solo, tu sarai tutto tuo, e se sarai accompagnato da un solo compagno, sarai mezzo tuo... » — Ne dicas (pergit Leonardus) posse omnia conciliari. « E non si può servire a due signori; tu faresti male l'ufficio del compagno, e peggio l'effetto della speculazione dell' arte. » (*Trattato della pittura*, II, 48.)

« Il pittore dev'essere *solitario* e considerar ciò ch'esso vede e parlare con sè eleggendo le parti più eccellenti delle specie di qualunque cosa egli vede. » (*Ibid.*, II, 59.)

Item Lomatius ait ætatis suæ mediocritatem ex eo oriri quod pictor non satis animum suum colligit priusquam pingat. Derelicta est « via di concipere et come à dir comporre nella mente et idea sua ciò che disegnano di fare, prima che diano diigliò al pennello et scarpello et lo pongano in opera. La qual cosa primieramente si hà da fare di continuo in *solitudine* et *silentio*, senza non è possibile che alcuno possa bene specular giamai..., etc. » (*Ibid.*, VI, 64.)

(2) Talem, nec immeritò, Rembrandum effingit liber iste : « *Rembrandt wie Erzähler,* » qui, tribus aut quatuor abhinc annis, tantum in Germaniâ rumorem concitavit. Eligitur Rembrandus, præ Durero et ceteris Germanis, qui semper Italiæ auctoritatem passi sunt.

per se stare non valeat. Quæ quidem ex patriæ dignitate, tanquàm imago ab exemplari, pendet; ità ut, vergente Bataviæ post gallicum bellum fortunâ, ipsa, suâ vice, inclinet, et honestam Joannis de Witt rempublicam in exitium sequatur, dùm undique gliscit corruptela morum, quam produnt Petri de Hooch, Terburgi, Joannis Steen opera. Gallia, armis victa, victori pacis artibus dominatur. Gerardus de Lairesse (1640-1711) concinnitatem et falsam nobilitatem nostri Le Brun infert, et abdicata præteriti temporis gloria unâ die vanescit (1).

*
* *

Exactus quidem ille et humi defixus veritatis amor Bataviam a splendidis Italiæ mendaciis protexerat. Ecce autem Hispani aliis armis utuntur, scilicet fide suâ, tam altâ et singulari, ut omnem patrii ingenii vim, XVI° saeculo, absorbuisse videatur, et veterem errantium et pugnantium equitum historiam e populi memoriâ rejecisse. Fides illa nihil habet cum italicâ religione commune, utpote quæ dolore et sanguine alatur. Italici enim naturâ *pagani* sunt (ut ità dicam), et Roma, Paparum sedes, eos non modò non mutare valuit, sed ipsa ab iis mutata est, et *pagana* denique evasit. Ad eorum mentem, religio exstat tanquam voluptarium somnium et pulchrarum specierum apparatus. Hispani verò catholicæ fidei, martyrum more, addicti sunt; vitam ma-

(1) « Illud tantùm Rembrando deest quòd in Italiâ non versatus est, neque in aliis locis in quibus artifices de antiquitatis scientiâ et de artium speculatione instituuntur; deest cura sequendi præcepta nota, antiquorum signorum usum, Raphaelis graphicen et in omni operum genere calliditatem, denique academias, pictoris officio necessarias. » (Sandrart.)

Lairesse expressiùs adhùc dicit : « Quum velit molliter depingere, Rembrandus putredinem tantùm exprimit. Illius ingenium, in quolibet argumento, nihil aliud nisi vulgares et sordidos adspectus curat. »

lam et mæstâ miseratione dignam judicant; cruciatus, miserias, mortes tantùm requirunt; cum Zurbarani monachis, meditantur de calvariis, aut, cum Riberâ, dolentibus corporibus, morbo aut supplicio deformatis, effusè incumbunt, ut decet populum qui verè et admodùm « resurrectionem carnis » credit.

Adsit, in summâ, intellectus corporeæ veritati intentus, cum animo christianis praeceptis ultrà modum subdito (1), et ex duabus illis dotibus propria indoles consistet, quam frangere italica disciplina nequidquam XVI° sæculo tentabit, quæque contrario regressu italicum ingenium ad ultimum præstringet. Italici enim artifices, Hispaniam incolendo, Hispani fiunt; Hispani autem, quùm ab Italiæ commercio tantùm requirant ut propriam naturam suam planiùs exprimant, XVII° saeculo ad miram potentiam evehuntur.

(1) Ex hâc indole sequitur mirum illud quòd in Hispanorum arte absit *ruris pictura*. — Hispani naturam, ut est, rarissimè imitati sunt (Cf. scholam Michelangeli). — Berruguete tanquam Florentinus est; Navarrete tanquam Venetianus. Vargas, Cespedès, et Juan de Juanès a Româ circumdatas fabricas et cæli adspectus mutuantur. — Vergente XVI° sæculo, Petrus Orrente, « Græci » (Theotocopuli) discipulus, Bassanum imitatur. — Vide adhùc Ribaltas Valentiæ. — Apparet Sevillæ nonnulla Belgarum auctoritas. — Vicente Carduchi in concipiendo hispanus, in exsequendo italicus videtur.

Excipiendi sunt : Francisco Collantes (1599-1656) qui situs asperos et turbatos pingit, nec non « bodegones » (fructus et flores). Vide « *Ardentes dumos* » (Louvre); Iriarte (1620-1685), Herreræ discipulus, a Murillo prædicatus, qui rura incerta et quasi communia, sine ingenuitate, pingit.

In pulcherrimis, et, ut ità dicam, maximè graphicis (pittoreschi) regionibus, scilicet in Andalusiâ et Valentiæ campis, nulla adest ruris pictura.

Velasquez effigies suas ruris prospectibus circumdat, et gener illius, Martinez del Maso (1615-1667) hujus modi prospectus in tabulas inducit, sed ad ornationem et concinnitatem.

Quod ad explanandum, opus esset primùm cognoscere quæ sint lucis conditiones in Hispaniâ, quoniam compertum est Batavi cœli subtilem, humidam et coloratam lucem unam ex præcipuis causis fuisse undè orta sit in eâ ruris pictorum schola. — Verùm ad ipsam Hispanorum indolem, ipsamque eorum fidem recurrendum est, quæ hominem solum curat, naturam autem contemnit, eamque nec *paganico* amore, ut Italici, nec cogitato affectu, ut Batavi, amplectitur.

Attamen omni tempore Hispania Italicæ artis momentum experta est. Ab anno 1383, Starnina, A. Venetiani discipulus, in Castillâ demoratur. Per totum XV^{um} sæculum, italica auctoritas a belgicâ pensatur (van der Weyden). Ineunte XVI^{mo}, turbatur temperamentum. Paulus de Arezzo et Franciscus Neapolitanus, venustus et ingenuus Leonardi discipulus, anno 1506, Valentiam veniunt. Torrigianius, Michelangeli inimicus, Sevillæ laborat. Laurentius di Credi (1) et Rodulphus Ghirlandaius (2) Hispaniæ tabulas religiosas suppeditant. Fit undique in Italiam migratio. Vicente Joanes (1523-1579) scholam sequitur Perini del Vaga, aut Polydori, in quâ Thomas Pelegret, Saragotiensis, pariter studet. Luis de Vargas (1502-1567) Perini lectiones sequitur, et Alphonsus Berruguete (1480-1561) Michelangeli ; ille, dùm Florentiæ moratur (1503), *Pisanum bellum* delineat, atque in Italiâ usque ad annum 1520 versatus, in amicitiam venit cum Andreâ del Sarto et Sodomâ. Gaspar Becerra (1520-1570) Vasarium Romæ adjuvat, et Michelangelum summo ardore imitatur. Juan Fernandez Navarrete (1526-1579), Titiani discipulus est. Franciscus de Ribalta (1555-1628) in scholâ Caracciorum versatur; Hieronymus de Moras, Paulus de Cespedes (1538-1608), Cordubensis, in scholâ Zuccheriorum Romæ, 1559 ; ille Michelangelum et Raphaelem imitatur, antiqua signa reficit, Corregio studet, et amplam scholam italianam, anno 1577, instituit. Juan de las Roelas (1558-1625), Sevillanus, Venetis studet, præsertim Tintoretto. Franciscus Pacheco (1571-1664), Cespedis discipulus, doctrinæ indagator et italicæ disciplinæ strenuus propagator est. — Tandem Philippus II ad Escurialis ornationem celeberrimos Romæ artifices

(1) V. Vasarium, VIII, 204.
(2) Id., VIII, 132.

vocat : Pellegrinum Tibaldi, Lucam Cambiaso, Romulum Cincinnato (Salviatii discipulum), Castellum de Bergamo, Franciscum de Urbino, Fredericum Zucchero, Bartholomæum Carducci, Patritium Cajesi, Nicolam Granello.

Sed mirum illud evenit quod Hispani Italiæ fautores, fidem altam et veritatis amorem verè proprium servant, dùm contrà Italicorum filii suâ vice Hispani fiunt.

Vicente Joanes, dictus « Raphael hispanus », Deum orat, jejunium servat, ad sacram communionem accedit ut se ad pingendum præparet (1). Luis de Vargas flagellum addit, et juxtà lectum suum sarcophagum tenet in quo sternitur et meditatur de morte. Totum « Divini » Moralis (1509-1586) opus fidem mæstam simul et ægros nervos ostendit. Cespedes, intellectûs studiis deditissimus, et, ut ità dicam, maximè « italicus » omnium, in Ecclesiâ Cordubensi canonici partes agit. Las Roelas et Alonso Cano præbendis fruuntur, Olivaribus et Granatæ. — Ars et religio tam strictè conjunguntur ut pictor quidam Nicolas Factor, Valentianus, Ribaltæ discipulus, fiat frater Franciscanus et sanctus. Monachus quoque ille est Joannis discipulus, Nicolas Borsus, qui Hieronymitarum ecclesiam Gandiæ picturis induit. Asper Italiæ fautor, Franciscus Pacheco in libro suo : « *Arte de la Pintura* » (1649) (2), ardentem et quasi mysticam fidem, XIV^{mo} sæculo dignum, profitetur. Anno 1618, quum ab Inquisitione negotium accepisset ut servandam in picturâ « orthodoxiam » curaret, immutabilia præcepta statuit quibus definiuntur vestes et oris ductus in omnibus sacris tabulis adhibendi, et Senensium instar, Giotti tempore viventium, scribit : « Non aliud est artis officium nisi ut homines ad pieta-

(1) V. William Stirling, *Velasquez et ses œuvres* (trad. G. Brunet).
(2) *El Arte de la Pintura, su antiguedad y grandezas* (Séville, 1649, in-4°, 644 pages).

tem incitet et ducat ad Deum. » Tali mente Hispania semper ab incuriosâ et vacuâ Italicorum elegantiâ arcebitur.

Gravitas illa animi, sensûs simul et cogitationis severitas, Italicos minùs fortes et malè armatos imbuit, ubi primùm Hispaniam ingrediuntur. Eugenius Cajes (1577-1642), Patricii Cajesi filius, transformatur et Hispanus fit. Vicente Carducho (1578-1638), Bartholomæi filius, italianam quidem calliditatem non abdicat, sed veritatis amorem mutuatur a gente quæ illum adoptavit. Franciscus Rizi (1608-1685) terribilia et Hispaniæ propria supplicia (auto da fè) describit. — Vigentiora etiam ingenia læduntur. Antonius Moro (1512-1588), Batavus, Titiani discipulus, Castillam anno 1542 ingressus, mentem omninò mutat, et effigiebus, venetianos adspectus reddentibus, tristitiam animi imprimit quâ verè hispani fiunt. — Denique mirus ille artifex, dictus Græcus (Dominicus Theotocopuli) (1548-1625), qui Tuletum, anno 1575, venetianum colorem et italicam compositionem infert, ab anno 1580 discrimen animi subit ex quo ingenium ejus omninò commutatum evadet. Severa tristitia, e religione asperâ et amarâ manans, tabulas ejus obscurat, in quibus personæ quasi species umbrarum induunt, et mæsta morbidâque luce, tanquam somnium semioccultum, demerguntur.

Italicorum commercio, Hispania paulatim virium suarum conscia fit, et perfectionis, illorum artificio comparatæ, arcana simul et judicium et delineandi solertiam citò desumit : jam non, præsentibus illis, verecundiam sentit quâ primùm impediebatur, et nunc sese liberè exprimit. Ribera e scholâ Ribaltæ (id est Caracciorum) egreditur ; Zurbaranus ex scholâ Joannis de las Roëlas, (id est Tintoretti) ; Murillus ex scholâ Joannis del Castillo ; Herrera senior ex scholâ Ludovici de Var-

gas, Italiæ amicissimi, — et ipse tandem Franciscus Pacheco generum habet Rodrigum Velasquez.

Quomodo ex italicâ imitatione ad vividum ingenii sui sensum Hispania abruptè transierit, in Riberâ et Herrerâ quærendum est. — Ribera (1588-1656), etsi ægrè et quasi impendio vitæ iter in Italiam perfecerit et illìc etiam Caravaggii auctoritatem graviter passus sit, mentem omninò diversam in operibus suis exhibet. Primo adspectu quædam inest inter illos ex violentiâ et sordibus similitudo; sed Caravaggii impetus intellectum redolet; actione ipsâ commovetur; Riberam autem corporea vita tantùm detinet. Carnis frustum, pes deformatus, venter dehiscens, vulnus cruentum, hæc cogitationem ejus terminant; ad hæc furente amore impellitur, tortoris aut excordis more; quodquidem ab indole gentis, corporearum rerum unicè studiosæ, pendet. — Eadem dira et effrenata libido in Herrerâ seniori († 1654) eminet, qui ferociùs etiam italicum vinculum rumpit.

Post duos illos terribiles viros, qui parùm consciâ et tanquàm prænuntiâ mente innatum gentis robur exprimunt, apparent duo absoluta ingenia, in quibus dotes omnes æquo temperamento librantur, et ars hispanica ad fortem et placidam perfectionem pervenit. Ambo res directè et unicè ex naturâ depingere cœperunt. Zurbaranus (1598-1663) omni regulâ et scholari disciplinâ abstinet; colores et formas observat et quasi religiosè reddit, ideòque inter Hispanos optimus demortuæ naturæ pictor judicatur. Posteriùs autem (a 1620 ad 1625) e nonnullis Riberæ tabulis novas artis rationes haurit, nec tamen proprium ingenium suum depravat.

Velasquez (1599-1660) sibi disciplinam, ad similitudinem Rembrandi fingit. Primùm picturas edit tranquillas, severas, certas, frigidiores fortè et secundùm batavum morem, sed ex veritate formarum, præsertim ex

demortuâ naturâ desumptas; exactum oris ductum, sensuum varietates, vultûs discrimina, patientiâ ferè timidâ exquirit. Circà 1628, judicio adhùc incertus, sed experientiâ dives est : tunc temporis Rubens Matritum intrat; per novem menses fit Rodrigi Velasquez hospes, et quamvis nullam in illum auctoritatem ingenio suo exerceat, saltem illum impetu suo stimulat. Die 28 junii mensis 1629, Velasquez a rege impetrat ut in Italiam proficisci liceat; atque illìc, summorum artificum præsentiâ et contactu, singularem vim suam sentit, quæ sit propriæ artis ratio et in quo ab aliis differat. Venetiam obit, (ubi « *Crucifixionem* » et « *Cenam* » Tintoretti imitatur), Ferraram, Loretum; Bononiæ nequidem moratur ut epistolas sibi creditas cardinalibus Ludovisio et Spadæ remittat; totum annum Romæ, libero more (1) exigit; fragmenta « *Judicii Supremi* », « *Prophetas* », « *Sibyllas* », « *Scholam Atheniensem* », « *Parnassum* », « *Incendium del Borgo* », delineat; sed quò plura imitatur, eò magis peculiare confirmatur ejus ingenium. Diceres quamdam certationis voluntatem, aut etiam provocationis, inesse in istis tabulis, acerbè deturpatis, quas *Æsopi*, *Menippi*, aut *Martis* nominibus exornat (2). Neapolim ingressus, familiarem cum Ri-

(1) Hospitium Vaticani abnuit.

(2) In Italià ferè nullà re commovetur nisi Venetianorum colore et splendido veritatis amore. V. ap. Lefort. colloquium inter Rodrigum Velasquez et Salvatorem Rosam, exceptum e *Carta della navigazione pittoresca*, per Marco Boschini (1660, Venezia, in dial. veneziano). Salvatori interroganti quid Velasquez de Raphaele cogitet, respondit ille :

A dirve el vero,
Piasendome esser libero, e sincero,
Stago per dir, che nol me piase niente.
A Venetia se trova el bon, e'l belo;
Mi dago el primo liogo a quel penelo :
Tixian e quel, che porta la bandiera.

(V. W. Stirling, *Velasquez and his Works*, 1855, London.)

Vide etiam *Indicem 41 tabularum* mandatarum in Escurialem, — scriptum a R. Velasquez, et editum, anno 1658, a Joanne de Alfino (Roma,

berâ consuetudinem jungit, et Matritum antè finem missionis, redit (initio anni 1631).

Tunc exoritur illa miraculorum artis series quæ ab imaginibus Philippi IV et ducis de Olivares, ad « *Deditionem Bredæ* » (1647) extenditur, in quâ ingenitum veritatis amorem, maximorum præteriti temporis commercio corroboratum, novâ vi ad imitationem naturæ adhibet. — Circà finem 1648, secundum in Italiam iter incipit (Genuam, Milanum, Paduam, Venetiam, Bononiam, Modenam, Parmam, Florentiam', Romam, Neapolim), ut tabulas et signa ad Alcazarum emat (*Venerem et Adonin*, Pauli Veronensis; duas tabulas Tintoretti; *Paradisi* adumbrationem, etc.); simulque duos Bononienses, topiarios pictores, Colonnam et Mitellum fœdere sibi obligat. Romæ unum annum moratur; miram Innocentis X imaginem effingit (1); amicitiam instituit cum Bernino, Algardo, Petro de Cortonâ, Calabresi, Claudio Gellée, Pussinio, et junio mense 1651, Barcelonam redit.

Grignano) — Nova editio cum translatione a Davillier (Paris, Aubry, 1874).

De *Christo lavante discipulorum pedes*, a Tintoretto, ait :

« Ægrè credit spectator hoc ad pictoris artem attinere : colores enim ità vividi sunt, et prospectus tàm callidè redditus, ut putares posse locum ingredi, et pavimentum illud conculcare, diversis coloribus variatum, quod simulatâ fugâ spatium etiam auget. Putares quoque aera inter figuras fluitare, quarum habitus vividissimi sunt et personis congruentissimi. Tabula, sedes, canis humi stratus, veritatem magis quàm artem redolent. Tali facilitate et solertiâ stupebit valentissimus pictor, et, ut omnia uno verbo complectar, quælibet pictura, huic comparata, pictura simpliciter manebit, dùm hæc res vera videbitur. »

(1) Imago illa, quæ, per se ipsam, celeberrimas Romæ picturas exsuperat, manifestò ostendit in quo Italiæ et Hispaniæ ingenia inter se differant. Dùm Raphael, in verissimis effigiebus suis (Julio II, aut Leone X), veritatem quodammodo in altiorem orbem transfert, — scilicet concocto coloris fervore, aureâ simul et fuscâ luce, simplici et significanti oris ductu, adeò ut exemplaris corpus per intelligentiam suam transpicere videatur, — Velasquez contrà animum per corporis speciem apprehendit. Ejus oculi primò vultum illum sanguineum, halitu calido et vivido circumfusum, arripiunt, ut mentem irritabilem, obstinatam, superbam excutiant, cujus H. Taine ferox robur et abditos impetus non dignoscere valuit.

Tùm novam rationem pingendi adsciscit, « (manera abreviada), » quâ statim et summatim rem sensu impressam reddere conatur; quæque non solùm ad nimiam negotiorum curam referenda est, sed ex innato ingenii desiderio oritur. Divitiis enim partis confidens, exhibendæ facilioris scientiæ fastidiosus, sermone sæpiùs iterato defessus, breve facit, paucis et subsultim absolvit, rerum solummodò summam notans, in quâ tota indoles resumitur et contrahitur actio. Quod quidem etsi incredibilem in hâc viâ vim et solertiam Velasquez adhibeat, sanè periculosum est, et propioris ruinæ prænuntium : eminet enim simplicitatis fastidium, naturæ satietas (1), et brevitatis tandem studium quo hispana pictura mox afficietur.

Ab ipso Murillo (1618-1682), quanquàm ille familiari et poetico candore diligendus admodùm est, vitia ista erumpunt, videlicet in disciplinâ jam solutiore (vide illius extemporalem et communem in jussis operibus facilitatem), in mollitiâ ad accipiendam peregrinorum auctoritatem, (quomodò ad probandam Belgarum artem a Petro de Moja concitetur; imitationes Titiani, P. Veronensis, Rubentis, Antonii van Dyck, Velasquez), in nimiâ cunctatione ad agendum, et computato diversarum scholarum temperamento; interdùm etiam in effeminatâ et putidiore illius ratione. Post illum autem insulsa et melliflua concinnitas picturam omninò invadit. Affectata subtilitas, nitida et vacua jactatio in Hispaniam irrepit, Herreræ junioris (1622-1685) operâ, et pessimi quoque ex Italianis XVII^{mi} sæculi, nempè Lucæ Giordani « Fa prestò, » ad Escurialis ornationem, anno 1692, advocati. — Ceterùm, sub Philippi V dominatu, Hispana gens obdormiscit : adhùc etiam timeo ne Gallia tanquàm ruinæ artifex Hispaniæ se offerat.

(1) Velasquez ceterùm procul est a fide Zurbarani et superiorum.

CONCLUSIO.

Quod et quale sit proprium Italiæ ingenium, nunc planiùs ex ceterarum gentium observatione et comparatione patet. Una dos illius magnitudinem simul et ruinam parit, — scilicet nimius iste intellectûs cultus, quem, ab initio, copiosè tractavimus. Trans omnia quæcumque videt aut fingit, Italicum ingenium sese semper et unicè exprimit. Dùm Hispania et Batavia pertinaciter corporeæ veritati incumbunt, dùm Belgium, minùs religiosum, sed naturæ etiam amantius, toto ardore ad reddendam rerum vim propriam et singularem vitam, innititur, Italia naturæ species sæpiùs judicio suo subjicit.

Donec viget intelligentia, satis illi est sensus custodire et ad eorum exemplar fingi : verùm, ubi acceptis ideis impleta est, quidquid observat, ipsa depravat et torquet. Ista quidem damnosa facultas quà intellectus vitam in elementa rationalia dissolvit, picturæ florentinæ quasi peculiaris est; sed pictura Florentina, magnorum virorum operâ, Italiæ per totum XVI^{um} sæculum dominatur.

Verè igitur dici potest italicum quemdam *idealismum* esse, quo res dignitatem et illecebras magis ex hominis cogitatione quàm ex naturâ suâ hauriunt; ideòque talis disciplinæ momentum ab ipsius mentis pretio pendet (1).

(1) Leonardus, qui tam acriter italica quædam vitia perspicit, contrà

Præcipuum autem mentis decus in juventâ et « floridâ novitate » consistit. Quindecimo Italiæ sæculo eadem venustas inest ac pulchro cuidam de Amore poemati, adeò nitidâ, ingenuâ, insuperabili gratiâ ad naturam, adhùc adolescentem et quasi recèns repertam, artifices alliciuntur. — Sed breve poema est, et fugitivus error. Quum, ineunte XVI° sæculo, dissipatur somnium, ars a contemptâ naturâ semota manet; et quando ad illam, ducibus Caracciis, redit, intellectui tantùm, coacto et fastidioso, paret. Dicas matrimonium, merâ patientiâ contractum, quod post longam luxuriam, juvenili libidini succedit.

quæ ipse nequidquam luctatur, sæpè in libro suo ad vitium illud redit, quod « massimo difetto » gentis suæ prædicat.

« Multos novi, ait, qui se ipsos in omnibus figuris suis expressisse videntur; ...ed in quelle si vede gli atti e i modi del loro fattore, e s'egli è pronto nel parlare e ne' moti, le sue figure sono il simile in prontitudine; e se il maestro è divoto, il simile paiono le figure co'loro colli torti; e se il maestro è da poco, le sue figure paiono la pigrizia ritratta al naturale; e se il maestro è sproporzionato, le figure sue son simili, e s'egli è pazzo, nelle sue istorie si dimostra largamente; — e così segue ciascun accidente in pittura il proprio accidente del pittore. Ed avendo io più volte considerato la causa di tal difetto, mi pare che sia di giudicare che quell' anima che regge e governa ciascun corpo si è quella che fa il nostro giudizio innanzi sia il proprio giudizio nostro. Adunque essa ha condotto tutta la figura dell' uomo, come essa ha giudicato quello star bene, o col naso lungo, o corto, o camuso, e così gli affermò la sua altezza e figura. Ed è di tanta potenza questo tal giudizio, ch'egli muove le braccia al pittore e gli fa replicare sè medesimo, parendo ad essa anima che quello sia il suo modo di figurare l'uomo, e chi non fa come lei faccia errore. E se trova alcuna che somigli al suo corpo, ch'essa ha composto, essa l'ama, e s'innamora spesso di quello. E per questo molti s'innamorano e prendono moglie che loro somiglia. » (*Tratt. d. pitt.*, II, 105. *Del massimo difetto de' pittori.*)

Ita, arguto ingenii acumine et tanquàm philosophicâ eloquentiâ, Leonardus artis italicæ indolem explanat. Artifex omnes res per proprium visum transpicit, ut Berninus iste qui, ut ductum oris exprimeret, sese delineandum in quæsito habitu tradit (V. Diar, *Gaz. des Beaux-Arts*, XV, 511), et naturam ad similitudinem suî fingit. — Nam, etiam ad Leonardi mentem, « animus est corporis auctor. » — Frustrà Leonardus enititur ut « ex se » egrediatur; Italicus artifex sese in orbe universo reperit : quod quidem non sine damno fit, quando pectus ejus mediocre est.

Vide adhùc Leonardi Codices a Ravaisson editos : Mss. A. 23 recto.

Sic pictura italica, XVII° sæculo, ergà naturam satis venerabunda, verùm admodùm aliena videtur. In dies magis a rebus discedit ingenium, et aliundè morum corruptelâ implicitum, ad superbiam suam, negligentem et incuriosam, se tradit.

BIBLIOGRAPHIE

P. Affi. — *Vita del graziosissimo pittore Franc. Parmeggiano.* Parme, 1784.

L'Arétin. — *Lettere.* 1609.

Armenini. — *De veri precetti della pittura.* 1587.

Gio. Baglione. — *Le Vite de Pittori, scultori, et architetti, del 1572 in fino al 1642.* Roma, 1642.

A. Baschet. — *P. P. Rubens en Italie, d'après l'Archivio Gonzaga* (*Gazette des Beaux-Arts*, 1866).

Pietro Bellori. — *Le Vite de' Pittori, scultori ed architetti moderni.* 1728, Rome.

Cav. Bernin (*Journal du voyage du*) *en France*, par M. de Chantelou. Mss. inédit publié et annoté par M. Lalanne (*Gazette des Beaux-Arts*, 2e pér., t. XV-XXXII, 1877-1885).

Ch. Blanc. — *Histoire des Peintres.*

Buonarroti (Michelagnolo). — *Rime.* Ed. Varchi et Guiducci. Firenze, 1736.

— *Lettere.* Ed. Milanesi.

Burckardt. — *La Civilisation de l'Italie au temps de la Renaissance*, trad. Schmidt. 2 vol. Plon, 1885.

Courajod. — *La Part de la France du Nord dans l'œuvre de la Renaissance.* 1890, in-8°.

Coypel. — *Poème sur la peinture.*

Ch. Dejob. — *De l'Influence du Concile de Trente sur la littérature et les beaux-arts chez les peuples catholiques.* Thorin, 1884.

Delacroix. — *Journal.* 2 vol. Plon, 1893.

Dominici. — *Vite de pittori, scultori ed architetti napolitani.* 1742, Naples.

Felsina pittrice. 1673.

MARSILE FICIN. — *Lettres*. Bâle.

François de Hollande (Dialogues de), en tête de l'ouvrage du comte de Raczynski : *Les Arts en Portugal*. Paris, Renouard, 1846.

FROMENTIN. — *Les Maîtres d'autrefois*. 1876.

E. GEBHART. — *De l'Italie*.

— *Les Origines de la Renaissance en Italie*.

— *L'Italie mystique*. 1890.

GIOVANNI GAYE. — *Carteggio inedito d'artisti*. Florence, 1839.

Gazette des Beaux-Arts. (Blanc, Guillaume, Müntz, Garnier.) — *Michel Ange*. 1876.

GŒTHE. — *Mémoires* (2e partie).

HAVARD. — *La Peinture hollandaise* (*Bibl. des Beaux-Arts*).

L.-J. JAY. — *Recueil de lettres sur la peinture, etc.* (d'après Bottari). 1817, Paris.

DE LABORDE. — *La renaissance des arts à la cour de France*. 1850.

LAFENESTRE. — *La Peinture italienne*, t. I.

— *Titien*. 1886.

— *La Peinture en Europe* (*Le Louvre. — Florence*).

LUIGI LANZI. — *Storia pittorica d'Italia*. 3 vol., 1795-6. Bassano.

P. LEFORT. — *La Peinture espagnole*.

— *Velazquez* (*Art*).

H. LEMONNIER. — *L'Art français au temps de Richelieu et de Mazarin*. 1893.

LIONARDO DA VINCI. — *Trattato della pittura*. Ed. Tabarrini et Milanesi. Rome, 1890.

Manuscrits publiés par Ch. Ravaisson Mollien.

LOMAZZO. — *Trattato di pittura, scoltura ed architettura*. 1584.

— *Idea del tempio della Pittura*. 1590.

L. MABILLEAU. — *Philosophie de la Renaissance en Italie*.

E. MICHEL. — *Rembrandt*. 1893.

LADY MORGAN. — *Mémoires sur la vie et le siècle de Salvator Rosa*.

E. MÜNTZ. — *Histoire de l'Art pendant la Renaissance*. 3 vol. (1).

— *Raphaël*. 1881.

— *Les Collections des Médicis au XVe siècle*. 1888.

(1) Quam tertiam partem sui operis *De Arte Italorum* Müntz nuper edidit, seriùs accepimus quàm ut eam in nostram disquisitionem expoliendam adhiberemus : id tamen gratum habentes, quod ab eo hæc, quæ nostra sunt judicia, nusquam dissiderent.

FRANC. PACHECO. — *El Arte de la Pintura, su antiguedad y grandezas.* 1649, Séville, in-4°.

GAB. PALEOTTI. — *Discorso intorno alle imagini sacre e profane.* Bologne, 1582.

PALUSTRE. — *La Renaissance en France.* 1879-89.

PASSERI. — *Vite de' pittori, etc., in Roma,* 1641-1673. 1772.

ROGER DE PILES. — *Abrégé de la Vie des peintres, avec des réflexions sur leurs ouvrages.* Amsterdam, 1767.

Charles Perrault (Mémoires de) de l'Acad. franç., et 1er commis des bâtiments du roi, contenant beaucoup de particularités et d'anecdotes intéressantes du ministère de M. Colbert. Avignon, 1759, in-12.

PLON. — *Benvenuto Cellini.* 1883.

Raccolta di lettere sulla pittura, scultura ed architettura, scritte da piu celebri professori che in dette Arti fiorirono dal secolo XV al XVII. Roma, 1754-64, 4 vol.

FRÉD. REISET. — *Niccolo dell' Abbate et les peintres de Fontainebleau (Gazette des Beaux-Arts).*

— *Catalogue des Dessins du Louvre.* 1887.

JOHN RUSKIN. — *L'Esthétique anglaise.* Etude par J. Milsand, 1864. Paris, G. Baillière.

CARLO RIDOLFI. — *Le Maraviglie dell' Arte (Vite degl' illustri pittori veneti, e dello stato).* 1648, Venise.

RIO. — *L'Art chrétien.* 4 vol., 1861, Paris.

Rubens, sa vie et son œuvre (Librairie de *L'Art*).

G. SÉAILLES. — *Léonard de Vinci.* 1892.

P. SELVATICO. — *Le Arti del disegno in Italia, storia e critica.* Milano, 1879.

STENDHAL. — *Histoire de la Peinture en Italie.* 1817.

— *Rome, Naples et Florence.*

WILL. STIRLING. — *Velazquez et ses œuvres.* 1855, Londres, trad. G. Brunet.

TISSERAND. — *Renseignements sur les peintres, sculpteurs de Fontainebleau, de 1542 à 1661.* 1865.

VASARI. — *Vite de Pittori.* Ed. Milanesi, 1881.

L. VITET. — *E. Lesueur.* 1849, Paris.

WAUTERS. — *La Peinture flamande.*

YRIARTE. — *Paul Véronèse (Art).*

FEDERIGO ZUCCHERO. — *Idea de' Pittori, scultori ed architetti.* 1607, Turin.

VIDI AC PERLEGI :
Lutetiae Parisiorum, in Sorbona,
a. d. XII Kal. mart. ann. MDCCCXCV,
Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi Decanus.
A. HIMLY.

TYPIS MANDETUR :
Academiæ Parisiensis Rector,
GRÉARD.

INDEX CAPITUM

TOLOSÆ. — EX TYPIS A. CHAUVIN ET FILS, VIA DICTA DES SALENQUES, 28.

Ernest THORIN, éditeur, 4, rue Le Goff, à Paris.

LEXIQUE

DES

ANTIQUITÉS ROMAINES

Rédigé sous la direction de R. CAGNAT
Professeur au Collège de France

Par G. GOYAU, membre de l'École française de Rome

AVEC LA COLLABORATION DE PLUSIEURS ÉLÈVES DE L'ÉCOLE NORMALE SUPÉRIEURE

Un volume in-8° raisin, sur deux colonnes, illustré de 365 dessins inédits, dont 8 hors texte, d'un plan de Rome et d'une chromo-lithographie. . . . . 7 fr.

Ce *Lexique* n'est point une œuvre d'érudition originale : il y a entre lui et le *Dictionnaire des Antiquités grecques et romaines* que dirige M. Saglio à peu près la distance qui sépare le grand dictionnaire de Forcellini de ceux de M. Sommer ou de M. Châtelain. C'est dire que nous avons eu surtout en vue, en le rédigeant, l'intérêt de l'enseignement secondaire, de ses maîtres, de ses candidats, de ses élèves les plus avancés. Nous avons voulu, en somme, leur offrir un supplément aux dictionnaires latin-français qu'ils ont entre les mains. Dans ceux-ci ils trouvent, avec la forme des différents mots, leurs significations diverses et leurs acceptions variées, aussi bien concrètes qu'abstraites ; mais le sens des mots, rendu généralement par une seule expression, y reste toujours enveloppé d'un certain vague, il est impossible d'y échapper aux synonymes et aux à peu près : ainsi *solea* et *crepida* y sont tous deux traduits par « sandale, » *statera* et *libra* par « balance. » Notre lexique est précisément destiné, dans notre pensée, à distinguer les synonymes, à préciser les à peu près, soit au moyen de quelques lignes d'explication, soit par des figures. Un livre de cette sorte ne serait pas une nouveauté en Allemagne ; en France, nous ne possédons guère, dans cette catégorie, que la traduction du dictionnaire de Rich, par M. Chéruel. Mais, outre que ce volume, malgré plusieurs rééditions successives, est déjà vieux de plus de trente ans, « *grande mortalis ævi spatium*, » surtout pour une œuvre scientifique à notre époque, il se limite presque exclusivement aux termes d'archéologie ; de plus, il fait une grande part aux mots de basse époque et aux expressions techniques qu'ignorent les écrivains latins de l'âge classique. Nous avons, au contraire, sauf de rares exceptions qui se légitiment elles-mêmes, écarté à dessein les termes qui ne figurent pas dans les grands auteurs ; mais à ceux-ci nous avons fait une très large place en admettant dans ce volume tous ceux qui sont employés dans la langue du droit public ou privé, tous ceux qui ont quelque rapport avec les institutions civiles ou militaires de la république et du haut empire, jusqu'à Dioclétien. C'est par là que le présent *Lexique* se distingue de celui de Rich, et que, dans bien des cas où ce dernier ne donne pas de réponse, le nôtre pourra être consulté avec fruit.

On ne s'étonnera pas que nous n'y ayons introduit, à l'appui de nos assertions, aucune référence. En pareil cas, il n'y a pas de demi-mesure possible : ou bien il faut justifier tout ce que l'on dit ou se contenter d'affirmer sans preuves à l'appui. Le premier parti n'a qu'un inconvénient qui est de doubler la grosseur d'un volume et d'en augmenter le prix ; nous n'avons pas hésité à nous décider pour le second, persuadés que ceux qui voudront étudier plus à fond les questions pour nous contrôler ou nous compléter, trouveront aisément le moyen de le faire, en se reportant aux manuels d'antiquité romaine parus depuis dix ans en France ou à l'étranger.